C. MUTII CAMILLI SAUINATIS EPIGRAMMATON AD IANUM MARIAM...

C. Muzio Camillo

C. MVTII CAMILLI SAVINATIS

Epigrammaton ad Ianum Mariam Sa-
uinatem Pont. Sipont.

VT dubius uitæ; quum primum na-
uita fines
Soluit/ neptunum/ tindaridaſq; uo-
cat.
Sic ego in expertis cupiens dare carbaſa uentis
Te precor: ut uenias in mea uota uolens.
Inſuetum tentamus iter/ tu dirige curſum:
Naufraga ne graciles obruat unda rates.
Tu mihi neptunus ſiquidem pater optime uatū
cumque therapnæo caſtore frater eris.

Ad eundem.

Adfuit Andino mœcenas thuſcus alumno:
qui cecinit forti Troica fata pede.
Adfuit & pariter Flacco/ feliciter audax:
pindarico dulces qui dedit ore modos.
Tu quoq; thuſce mari noſtro fers tempore uates:
quos iuuat Aoniæ plectra mouere liræ
Ac uelut in rapido iactatos æquore nautas
dentibus incuruis Anchora ſacra leuat:
munere sic largo miſeros tua dextra poetas
Subleuat: inuiſam pauperiemq; fugat.
Quare age fer iuuenem muſarum ſacra colentem:
quiq; parat nomen tollere ad aſtra tuum.

Ad librum ſuum.

Quo tendis o libelle/ quo uolas (quæſo)
nondum expolitus punice aſpera/ nec dum
cedro perunctas/ purpuraq; signatus?
An forte blattas ſcrinio latens noſtro:
mureſue/ araneaſue/ puluerem ue horres?
erras libelle/ si omnia hæc times/ erras:
nam ſic quoque peribis: ſed hoc erit pœnis:
quod ſalgamis/ & mercibus ſilurorum
dabis cucullos/ ueſtieſque picenas

Oleas / ciminum: thus: piperq; mixasq;
Iam te relictum cerno / cerno conſciſſum
Salariorum dexteris: libellorum
miſerrime omnium quot aut fuere / aut ſunt;

Ad ſextum.

In lucem noſtras cogis me promere nugas
ſexte / olim luſi quas puer / atq; rudis.
Nollem ego: ſed quando cogis: parere neceſſe eſt;
calculus hic etenim ſat mihi ſexte tuus.

Ad lectores.

Lectores placidique: candidique
(ſiqui forte meis uacare tricis
dignati fuerint) rogamus omneis;
vt linguis faueatis: & libelli
luſus ne tetrico legatis ore:
et quanquam rudis ille / inelegansque:
eſt breuis tamen: expeditq; paucis:
horam nec patitur perire totam.
at uos o rigidi: grauesq;: triſti
qui ſupercilio / aſperaque fronte.
eſtis Fabritio ſeueriores:
hinc procul / procul hinc abite / uobis
cherintum ſcio diſplicere / & illam:
quæ me nunc miſere puella torquet;

In liuidum.

Exit liuide iam libellus / exit:
ſubfultus Genio / fauore / & aura
Iani pontificis / meique ſexti
ſi noui bene te / mi ſelle præbes
reſti liuide colla uindicenda.

Ad Ianum marinm Pont. ſipontinum.

Hactenus inſanos uitaui ſemper amores:
ſpernens Aligeri tela: faceſq; Dei.
Teſtis latona genitus / doctæq; ſorores:
teſtis & o nobis tu pater eſſe potes.
At nunc inſolitis ſtringuntur colla catenis:
et pectus rapido nunc furit igne meum.
Parce venus caſtum furiis agitare poetam:
non tua / ſed phœbi ſigna pudica ſequor;

 3

me miſeſ : grauis urget amor: quia ferus et ipſa
ceruix inſuetum ferre recuſat onus.
Phyliis amor meus eſt / cœleſti phillidis ore
torreor: o miſere phillis amata mihi.
Atq utinam cœptis faueat uenus aurea primis:
experit ut dextro sidere noſter amor.

Ad phillida.

Salue delitiæ meæ puella:
mi lepuſcule / mi lahſioq:
mi ſciure tenrele/mollicelle:
meum lac / mea mulſa / melculumq
tu mihi ingenium facis / mihiqs es
parnaſſusq / heliconq / theſpiæq:
cumq me placido intueris ore:
Et phœbus fauet / & fauent Camœnæ

De ſuo ardore.

Quo magis ut poſſem flāmas reſtinguere amoris
ſiccaui annoſo cimbia plena mero:
Hoc magis inualuere ignes / oleumq camino
Adiei / remoue cimbia / tolle merum.
Cum Bromio concordat amor / crudelis uterque:
Atq audax: uino hic urit / at ille face.

Ad matronas.

atronæ: inſtita quas tegit uerendas:
quæq ius colitis pudoris / & quæ
cenſura prohibemini poetas
laſciuos legere / atq putienteis:
prædico / moneoq / nuntioq:
uiteris fugiatis hos libellos:
qui cantant pueros / puellulaſq:
A uerbis neq temperant proteruis:
Et qui nomine mentulam uocare
Conſueuere ſuo / nec erubeſcunt
Illam ponere septies in una:
quam dixi modo mentulam: papiro:
ſed uos quo magis arceo his bellis:
Hoc magis (puto) lectitare auetis.

In plotiam.

Exhauſti uidua labuntur ad arbore ficis

A iii quum

quam primum ſcithico frigore uenit hiems.
at tu ſemper habes maturos plotia ficus.
Hortus nimirum eſt fertilis iſte tuus:

ad venerem.

Cum procreata ſis mari undoſo venus
miror quod ignem procrees.

ad antoniū pōt. portueñ. Cardinalē ſauinatē.

Ornaris patriam cum tot uirtutibus: & cum
ad cœlum extuleris tot meritis patriam:
quis non hoc ſatis/atq; ſuper pater optime ducat?
tu tamen haud ſatis hoc / & ſuper eſſe putas.
Sed patriam decoras tectis / domibuſq; ſuperbis
Inſuper / atq; nouam das patriæ faciem.
Iam patriæ / ut matri debebas/at tibi debet
nunc patria: ut patri: nos quoq; cum patria.

De ſe ipſo.

Non eſt/ quo fugiam / locus / Cupido
ſemper inſequitur: comeſque præſto eſt.
ac feſſo mihi ſpiritum facultas
vix conceditur ulla colligendi.

De phillide.

qualis / quantaque ſit veneris Cœleſtis imago.
ut puto: diuorum eſt pingere / non hominum.
at ſiquis noſtram bene phillida pinxerit / ille
Dicetur ſuperis non minor eſſe deis.

Epitaphion neæræ.

Dum terris aderas neæra: terræ
nullo lumine ſolis indigebant:
nam tu ſplendidius / micantiuſque
Fulgebas hiperionis quadrigis.
liuore hinc ſuperi neæra moti
nobis te (ha facinus: ſceluſque) & omnem
di lucem ſimul abſtulere tecum
ac regna ut gemino ſuperna ſole
ornarent: animo æquiore paſſi
terras perpetuis dari tenebris.

De uenere / & phillide.

In venere eſt phillis / uenus eſt in phillide: utraque

videtis / uno ambas uidetis ore deas.
ad paulum Iouium.
Paule / machaonias phœbi cui filius artes
tradidit: & gemini gramina philliridæ:
Et cui gorgoneum licuit contingere fontem:
Caſtaque pierii limina adire chori:
te genuit: uaſtum qui numine torquet olimpum:
contingit hinc ſacrum nomen habere tibi.
te charis ambroſiis lactauit amica papillis
Et fouit tenero paruula membra ſinu.
te docuit patrio prognata e uertice pallas
Latonæque puer / pleioneſque nepos.
Hinc pede facta: uirum pangis memorāda ſoluto
atque imples cunctos hiſtoriæ numeros.
Hinc Criſpumq́ / titumq́ æquas / hinc fulmina grādi
ore iacis / quum tu uerba diſerta facis.
Deniq́ clauſa tenes tot pectore dona quot ignes
siderei paſſim nocte ſilente rubent.
Vnde tuo radiant præſentia lumine ſæcla:
clareſcetq́ eodem lumine poſteritas.
In næuiauam.
Quum ſola es / tibi ſemper eſt in ore
glans / & mentula / mira res uidetur:
quod felles / ubi neuiana ſola es.
De fredia fonte agri sauinatis.
Olim tres charites languentia membra fouebāt.
ſolibus æſtiuis fredia fonte tuo.
Laſciuæ his poſitos in margine fontis amictus
furtiuis nimphæ ſurripuere dolis.
at pudiuit nudas illinc exire ſorores:
atque ideo in uitreo nunc quoq́ fonte latent.
De ſua puella.
Si loquitur: pallas: ſi ridet / Cipria / iuno eſt.
Si graditur: quæ me ſcæua puella domat.
De ueris aduentu.
Fugere ſummis montium e iugis niues:
Fugere ſcæua & frigora.
Nec impotenti flamine hadriæ ſinus
contriſtat Aquilo thracius.

Nec aut pruinis uritur lactens ſeges
  Aut imbre uaneſcit malo.
Sed ſpirat almus leniter fauonius
  ſatorum, & arborum parens.
Aperitq; terras iamdiu aſtrictas gelu:
  Flatuq; complet uiſcera.
Genitalis ille ſpiritus, cuncta educans:
  uitamq; cunctis inſerens:
Sponſæ maritus Floridos, quam floribus
  præfert omnibus Deam:
Præſente quorum numine enaſci uides
  ſidera ſolo terreſtria.
Hinc ſerta ouantes colligunt puellulæ
  violas, roſaſque, & lilia:
Ornantq; crines, tempora ornant, & ſinus.
  ornant, & ornant pectora.
Puer tenellus fraga humi naſcentia
  carpit tenellis unguibus.
Apis recentes parca libat floſculos
  leui ſuſurro murmurans.
Nidis Hirrundo ueris aduentum canit.
  pulloſq; nutrit tinnulos.
Philomela in altis ingemit crudelia
  Itis nemoribus funera.
Et obſtrepentes cantibus celeſtia,
  feriunt uolucres ſidera.
Laſciuientes hæc, & ille cernere eſt
  oues, capellas, buculas.
Decertat aries cornibus, ludit caper,
  Hædus petulans ſaltitat:
Matremque tremulis euocat balatibus
  diſtenta portantem hubera.
Mugit iuuencus prata percurrentia
  adunca uibrans cornua.
Ager ſuperbit ſegete, agunt & palmites
  Florante gemmas cortice.
Funduntque uites nunc aquam, ut mox dolia
  dulci Lyæo compleant.
Florente cælum germinantes uertice

ſpectare gaudent arbores.
Nunc purus aer/nunc ſerena tempora:
ſoleſque blandi / & roſidi.
Nunc alma cipri dea choros Amoribus
Comitata ducit paruulis.
Quam tres ſequuntur gratiæ / & terram pede
nudo decenter uerberant.
nimphæq; paſſim curſitant. & ſaltitant
Amoris ictæ ſpiculis:
Quas panes inſequuntur uſque præpetes:
faunique / satirique hiſpidi.
Tandem uigent / ridentque / gaudentque omnia:
que phœbus undique adſpicit.
Me præter / ah miſer Catulle / ah ah miſer:
quem phillis urit impia:
Phillis cruentis ſæuior leonibus:
orbaque trucior tigride.

De iunone / & pallade.

Magna iouis conſors / ſapiens & nata feruntur
ſpectaſſe intentis phillida luminibus.
Ambæ admiratæ: & ſtupuerũt phillida & ambæ
talia concordi diſſeruere ſono.
Quam turpis pudor eſt nos eſſe a cipride uictas:
Hæc ſi uiciſſet / non pudor ullus erat.

ad phillida.

Ida quot arboreas frondes gerit: aut Erimanthus:
Quot ue intempeſta ſidera nocte micant:
taurigenæ atque quot apes paſcuntur himetto
uertice quot flammas sicelis aetna uomit:
triticeas fœcunda ferunt quot gargara meſſes:
quot ſaturat nitidos herba phaliſca boues:
quot madidus libie fuluas agit auſter arenas:
quot nerei piſces abluit unda uagos:
Complecti phillis breuiori carmine poſſem:
quam mea quot curis pectora uerſet amor.

Epi. infantis: qui ſtatim natus obiit.

Conditus hic ego ſum / nomen ne quære uiator:
nomina uiuenti nulla fuere mihi.
Vix mi oſtenderunt terris fata impia lucem.

vix hauſi ætheriam quum ſubito rapior.
Nam quæ principium uiuendi tradidit hora
Illa eadem nobis ultima meta fuit.

ad phillida.

Quum philli adſpicio tuos ocellos
Ignitos / oculis tuis aduror.
at quum non oculos tuos uidendi
ulla eſt copia / uita me relinquit.
ſic eisdem me alis / & cremas ocellis.

Ad Petrum Alcionium poſt luculen/
tiſſ. orationem habitam.

Quanta tulit nitida magnus præconia lingua
Tullius / Auſonii gloria prima fori.
Quanta machæropio genitus dum pectore anhelō
torſit in Aemathium fulmina denſa ducem.
Tanta tibi eloquium / nec non maiora parauit:
miſit & alcioni nomen in aſtra tuum.
Orphea iam traxiſſe feras / & robbora / & antra
Credimus / & nigri tertia regna dei:
Thebaſque ultorem ſtruxiſſe amphiona matris:
Quum ſunt uocalem ſaxa ſequuta liram.
Nanque tibi oranti ſubſellia & ipſa dedere
plauſum / & gimnaſii marmora tacta ſacri.

Muſca Aranearum caſſibus irretita
Ad loquitur pallada

Texentem pallas quondam te muſca memordi:
Deſpiciens tantam me uiolaſſe deam.
Nunc moriens ſoluo pœnas: tu iure dearum es
maxima / quam ulciſci lida uel hoſtis auet.

De ſua patria.

Mons patria eſt nobis / antiqua colonia Iani:
Qui modo nomen habet diue ſauine tuum.

Ad phillida.

Quod ſis Florida tota / pulchra tota:
hoc tu floribus o puella debes.
candorem a niueo trahis liguſtro
Et roſa idalio cruore tincta
tibi purpureum dedit colorem.
Sed candor tua pectora occupauit:
Eburnosq; humeros / lacertuloſq;.

At ſparſit genulas rubor nitenteis
Et quæ me miſerum labella perdunt.
quod uero aureoli tibi capilli:
Tinxerunt uiolæ:croci: & corimbi.

De aduentu iani marii pont. ſipontini.

Clara dies fulget niueo ſignanda lapillo:
Feſtaq; ianicolis ſemper habenda uiris.
Quiſq; ornet reditum certatim Antiſtitis / atque
dulciſonos læto fundat ab ore modos.
Splenda enim thuſcis ſunt lumina reddita terris.
reddita ſunt patrio gaudia magna ſolo.
Antiſtes Ianus rediit / rediere ſerena
tempora / & hiberni concidit aura noti.
Quis te magnorum curam neget eſſe deorum
Iane decus patriæ: præſidiumq; meæ
Aduentu nam pulſa tuo ſunt nubila: & imbres
luxq; hiperionios clara reduxit equos.

In Ienam.

Te Ienam appellat uulgus non rite / leænæ
Iudice me potius nomine digna fores.

De phillide.

Si quis uidere diſcupit
ledæà qualis: quantaq;:
quoue ore fuerit / & quibus
ciliis / ocellis: crinibus
genis / labellis / naribus:
ceruice / collo / pectore:
manibus / lacertis / cruribus:
ſimulq; membris cæteris:
adcedat huc / & phillida
ſpectet ſemel: bis: ter: quater.
diuq; quum ſpectauerit:
recedat / & oculis ſuis
ſatis / ſuperq; debeat.

Ad Ianū marium pont. ſipont. e patria
diſcedentem.

Flent driades / poſtquam ſua linquere rura paraſti
Iane mari / ut latii tibridis arua petas.
Naides indignis plangunt reſonantia pugnis

Pectora / nec facilis ſerta rapaxa legit.
Ingeminat uoces pani dilecta biformi
Nimpha / cauis quæ nunc dicitur eſſe locis.
Vngue rigente genas paſſim diſcerpit oreas:
conſcinditq; comas ; ætus hamadriadum
Solatur tamen has unum / tua tempora nanque
mox cernent tirio condita pileolo

Ad vitellum principem tiferratem.

Quod tibi noſtrateis inuiſere contigit oras.
lætor: & hæc diuum munera magna reor.
Quæq; vitelle fauet: qna q; eſt tibi dedita princeps
gaudet in aduentu terra ſauina tuo.
Ipſe etiam Ianus: patriæ qui præſidet arci:
lumina non ducit quattuor eſſe ſatis.
At poſſet melius quo te ſpectare vitelle:
Alter nunc fieri uellet Areſtorides:

Ad mellinam.

Vere & mellina es: uere & mellina uocaris:
nam quid tu niſi mel/quid niſi & ambroſia!

Ad ianum pactium:

Salue theſpiadum decus ſororum
quem magnus genuit parens Apollo:
quem ſacris aluit venus papillis:
ſinu quem tepido Minerua fouit
charin cui Charites dedere: quemque
gaudet filius erudire maiæ
cedro carmina digna ueſtra pacti
legi / & pegaſeo rigata rore:
cedit queis teneri lepos catulli
hiſpaniq; sales : iocią; uatis :
quod ſi hæc ruſtica non erunt diſertis:
illis carmina comparanda chartis:
aera ſiſiphium ſcias tuliſſe
heroem placide: & dediſſe nato
ingens deiphiles lubenter aurum.

De oliuis ſale conditis.

Quæ releuet lauti faſtidia longa palati:
illita iucundo baca liquore uenit.
Palladis hæc primum eſt immitis ad arbore lecta.
dem

Dem placidam falſe reddidit humor aquæ
Dic mihi: cum per te ſapias tritonia pallas:
cur ſapiat per ſe non quoque baca tua.

De Amore & phillide

Phillidam conſtituit veneris puer urere/iamque
admorat ſæuas impiger ille faces.
Quum ſua conierit radiantia phillis in illum
lumina / ſidereo lumina digna polo.
Quæ ſimul ac adſpexit amor: ſic infit / ocellis
me me inflammauit iſta puella ſuis.
Imo oculi non ſunt illi: ſed fulgura / & ignes:
ignes / queis flagrat uel Deus ignis amor.

De ſe ipſo

Non amplius Cupidinis feri quiſquam
formidet ictus aſperos ſagittarum.
nanque ille pharetræ pondus omne conſumpſit
in me: atque mecum ſemper ut ſit / in corde
meo uolucreis impius ſcidit pennas.

Ad petrum Florentinum.

Alma tuæ adfulſit geneſi uenus/almus & aſtro
iupiter: hiſque ales ninctus Atlantiades
Viſa quoque eſt cunctas natura oſtendere uires:
dædalea finxit quum caput arte tuum.
nanque fluentinos ciues euincere poſſe.
petre dedit formaque: ingenioque tibi.
nec tua diuino contedit muſa Maronis
bella licet forti concinat ille pede.
Quin etiam dubito/ne Arno te propter alumnum
inuideat claris mincius amnis aquis.

De cinna.

Cœpit cauſidicus foro relicto
uerſus ſcribere cinna / cumque ſeptem
uix hic uerſiculos decem diebus
ſcripſiſſet ſibi lauream / & corimbos
tanquam mæonides nouus popoſcit
o felicia sæcla: quæ poetas
tam magnos facitis decem diebus.
quod si ſcribere poſſet: atque fa
nimirum & fieret poeta aſellus.

Comparatio phillidis / & niuis.

Nix gelida eſt / gelida eſt phillis / nix: cādida: phillis
Candida / candore eſt utraq; / parq; gelu.
Sed tamen hoc diſtant / nix igni admota liqueſcit:
Dureſcit Paphio Phillis ab igne magis.

Roſa loquitur.

Quid veneris tutela mihi / quid adoſq; / coloſque
Proſunt / ſi tantum vita diurna mea eſt!

Ad Gallum.

paſtorem iuuat innumeros luſtrare iuuencos:
Et uiridi intonſum paſcere monte pecus.
Miles in aduerſas geſtit mucrone phalanges
tendere / & hoſtiles rumpere marte globos:
Inſiluis timidos venator figere ceruos.
Et maris undiſonos nauta ſecare ſinus.
Sit latices haurire Aganippidos Hippocrenes
mens eſt phœbeo ſæpe triente mihi:
Sepeq; parnaſſi gelidis recubare ſub antris:
Viſereq; Aſcræo paſcua nota ſeni.
nam me / ſancta lubens quæ delubra frequento:
Ad liciunt blando munere pierides
At tu largita eſt artes cui pallas honoras
t. perges pro trepidis dicere galle reis.

ad phillida.

i uoluntas adnuit.
ut peream / ego per quam lubens
peribo phillis / & necem hanc
putabo felicem meam.

Cicada loquitur.

Quærūt grāmatici / necdū illis cauſſa reperta eſt:
cur ſim pieriis ſacra ego virginibus.
Et licet a ſtigia ſurgat tellure palemon:
neſciet / at dicam / ſi cupis / ipſa tibi.
nil quoniam noui / niſi cantum / ad ferre cicada:
ut preter cantum: ſcit dare muſa nihil.

ad Iulium ſabellicum.

nobilitas antiqua tibi eſt / titulisq; ſuperbis:
atque opibus Iuli clara potensquæ Domus.
Forma uel argolico potis eſt contendere nireo:

Ingenium ſupera uenit ab arce tuum:
Et fies acnus miles ſtipendia caſtris:
cui ſua dat lætus ſigna ferenda Deus.
Quid memorē Eloquii uires/pueroſque ſolutos?
ac tibi ſocratice limina trita domus?
numina thure pio/precibuſque rogata pudicis
nec maiora ulli/nec dare plura queuunt.

De uenere & phillide.

natarum/Caritumque uenus ſtipata choreis
ibat/quum phillis obuia facta mea eſt.
Phillida ut aſpexit/mirata eſt cipris/& unde
oblata eſt/inquit/gratia quarta michi?

In chionen.

Cum moro/merula/pice/& camini
ſis fuligine nigiorr puella
cum furnus pater/& culina mater:]
ac nutrix tibi ſit nigella cornix:
(vt communis opinio eſt uirorum)
quis o/quis miceunmque/candidumque
hoc nomen potuit tibi dediſſe.
vt tu per plateas/uias: & ædeis
hæc alba eſt chione illa/dicereris.
ſic & candidus Indus/atque maurus:
ſic & ſepia candida eſt uocanda:
nec nigræ fulice amplius/nec atri
ſunt corui/puliceſque nominandi:
nec cæcæ tenebræ/nec atra nox eſt.
nam qui te chionen uocare/cur non
et noctem poterit diem uocare.

De fœmina/& uento.

Fœmina tollatur/nuſquam bella horrida cernes:
ventos aufer/erit nil niſi nomen hiems.

Ad lanū mariū Pont. ſipont. hoſpitio ſuceptū.

Conſtitit alcides iucundi in ſede molorchi:
Dum properat ſpoliis cingere terga nouis.]
Iuppiter: & pelagi deus: atq; atlantide natus
Gaudebant hirei tecta ſubire ſenis.
monſtraque laturus fertur marathonia theſeus
Auguſtos Herales lætus adiiſſe lares.

Tu quoq; lætus adi hoſpitium Iane inclite paruũ:
hoc habitant paruo di quoq; in hoſpitio.

De phillide & momo.

Phillida liuidulis ſpectabat momus ocellis:
poſſet ut in tota carpere neſcio quid.
Carpere neſcioquid nequiit/tentauerit ille
uel tacitum quamuis carpere ſandalium.
Tum in me uertiuſtait quoniam nihil iſta q̄ auſim
carpere/habet:carpam nunc tua metra puer.
nec tamen id carpo/quod ſit tibi carmen ineptũ
ſed quod maiori digna ſit illa tuba.

Ad ſiculum rhetorem.

Salue qui pater es facetiarum.
et ioci pater/& pater leporis.
ad quem quum hiſtoricoſq; : rhetoraſq;
pandis:undique confluunt catervæ
infantum/iuuenum/uirum/ſenumque.
di te o Eloquii decus latini
fortunent ſicule/adiuuentq; ſemper:
qui recte inſtituens remi nepotes
urbi reſtituis ſales:iocoſq;.

Ad cherinthum.

Dic/qui te genuit puer o cherinthe deorum?
dic inquam/nunquid phœbus/an Ignigena?
non te mortalis peperit:ſed Cipria mater:
et tua lacte nitens imbuit ora charis.
Si uideat/phrigium dimictet nempe miniſtrum
Iuppiter:hoc quæ lubens igne perire uolet.
Alcides non triſtis Hilan plorabit ademptum:
ſed nouus hirſutum pectus aduret amor.

De Amore:& phillide.

Nõdũ oculis captus/dũ lumina phillidis amens
ſpectat:ſpectando nec ſatiatur amor
Orbatur uiſu/nam lampadas uſque coruſcas
uibrat:& ardentes phillis ab ora faces.
At puer infœlix proclamat/abibit inultus
numne deus?neque hac fœmina maior erit!
Sic ait/atque illam properat dum figere cæcus:
fixit me incerta miſſa ſagitta manu

Hinc ego

Hinc ego diſcrucior curis / inde ille miſellus
nocte in Cimmeria / perpetuaq; iacet.
quid non ſupplicia o superi / pœnasq; parate?
perdidit iſta hominem / perdidit iſta deum.

In quandam.

Dú ſequor: ipſa fugis: sed dú ſequeris: fugio ipſe:
Res perridicula eſt: nos fugere: atq; ſequi.

Ad urbem Romam.

Roma o deorum: & gentium domus uale:
terrarum ocelle / cæterarumq; urbium
princeps / parens / regina / nutrix / & dea:
ualete celſa romuli palatia:
turreſq; / & arces / & ſuperba mœnia.
tarpeia rupes / illiuſq; iuppiter
cuſtos ualete cum iuuenta / & termino.
circi / theatra / curiæ thermæ / fora:
arcus / tropæa / porticus: templa: & uiæ
simul ualete / tuq; plebs quiritium
feliciter cum patribus uiue: & uale.
ego solum natale paro reuiſere:
longoq; ſedes patrias poſt tempore.

Ad Alexandrum grāmaticum.

Magnus Alexander gentes domuiſſe ſuperbas
Et per inadceſſos dicitur iſſe locos.
At tu Barbariam domuiſti / olimq; latina
Inuia / nunc per te peruia lingua manet
Illi turma / cohors / sonipes / fortuna fuere
auxilio / at peperit mars tibi cuncta tuus.

Ad Iulium arretinum.

Iuli caſtaliæ cultor: & omnium
princeps / aonidum ſacra colentium:
me natale ſolum / thuſcaq; detinet /
tellus / quam gracili clanis arundine
præſeptus placidis irrigat alueis
nec iam martigenæ mœnia romuli:
ut quondam: incolimus: nam potior mihi
urbe eſt romulea patria: sunt lares:
uitalem quibus hunc debeo ſpiritum:
eſt tandem potior phillis / amabilis
phillis / candidior phillis oloribus

phebo ſplendidior phillis apolline:
phillis pars anime / & dimidium meæ:
hæc me ſidereis cepit ocellulis:
hæc me blanditiis / atque leporibus:
laſciuiſq; iocis illaqueauit / &
nunc uinctum retinet compede ahenea
o quantum hac tua ſunt uincla tenacia
phillis / quam miſeris me crucias modis.
parce ah / ſi pietas regnat in inclita
forma / nam pietas conuenit inclitæ
formæ : ſi quid habent candida pectora
humani : & placidi : non libicus leo
non tigris fera : non ſcilla uoracibus
yndis te genuit : nec rhodopeiis :
néc tu de ſcithicis rupibus edita es.
sed clemens genitrix : & pia protulit
pleno teque aluit nectaris hubere.
At ſurdis canimus:non precibus locus:
nil proſunt lachrimæ:nil querimoniæ:
non ſuſpiria:non proficiunt modi
triſtes : non gemitus fuſus ad Aethera
nam phillis : quærimur quo magis:hoc magis
tum nos ſæuitia ſænior enecat.

De puella : quæ dum matrem tuetur a fratre interficitur.

Filius altricem ſtricto petit enſe parentem /
pro dulci uita reddat ut exitium
Subuenit hoc cernens matri pia nata : furenti
seque obfert / cohibet nec tamen ille manum
sed ferit hác:uitaque orbat:quin tēperet unquam
a lachrimis : meſtos nec canat ore modos:
Exigit at quáquá hæc pietas lachrimaſq; / modoſq;
nec poterunt lachrimæ / nec ſatis eſſe modi.

Filia loquitur.

Infelix : fratris quod me impia dextra peremit.
grataq; / quod matrem morte mea eripui.
Attamen infelix malo / quam ingrata uocaris
quid : quod & infelix non ego iure uocor.
Infœlix ne eſt : quæ potuit ſeruare parentem :
At grata eſt : quæ uult pro genitrice mori.

Eadem loquitur.

Reddidimus / mater quod nobis tradidit olim:
illa dedit lucem / reddita luxq́ ſibi eſt.
Reddere ſed longe eſt plus: quā care: nāq́ ſine ullo
vita data: at magno eſt redita uita malo.
Gaude quod per me iucunda luce fruaris:
Et fruere o genitrix: mi pietas ſatis eſt.

Comparatio pietatis.

Oſtendit pietas miracula plurima terris
Sed duo ſunt inter cætera præcipua.
Pauper anus romæ clauſa olim in carcere: ut illic
deficeret rabida: conciderétq́ fame:
Eſt alta huberibus natæ / nam filia matri
Excuſſa haud alium ferre cibum paterat.
Non minor at noſtro pietas hoc accidit æuo:
quam niſi cum lachrimis non mea muſa refert.
Filia quo gladios a matre auerteret / ictus
non uerita obiectu eſt corporis excipere:
Matreq́ ſeruata periit hæc: aſtraque adiuit;
quam bene temporibus ciuica ſerta gerens
Quæ magis inſignis pietate eſt: utraque matrem
ſeruat / poſterior ſanguine: lacte prior.

Ad gallum de ſtatua licoridis.

Aut stigiis ab aquis rediit tua galle licoris:
aut nondum ſtigias illa periuit aquas.

In rullum.

Rulle tibi placuit bona deglutire paterna
alea quum magnas dilapidabar opes
yt quod non poſſet ludendo abſumere dextra:
Id gula dapſilibus perderet uncta cibis.

Ad phillida.

Si nunc ſumere quamlibet figuram
fas eſſet mihi: non ego iuuencus
fallax / non aquila / aut olor / nec imber
aureus fierem / ſed o beata
sors: & conditio miſelli amantis
mutari in puliecm ſtatim nigellum

Vellem / ut in gremium tuum / ſinumq;
et pectus mea phillis / & tenellos:
candentciſq; humeros / papillulasq;
plenas nectaris euolare poſſem.
o quæ gaudia tunc mihi darentur.
o felix animal licet puſillum.
eſſem nocte ſimul / dieque tecum
phillis / nec tunicam / ſubuculamq;
fœderem maculis pulex / nec acri
morſu purpuream cutem ferirem;
ſed tantum ambroſio tuo foueri
ſinu / mi foret & ſatis ſuperq;.
illic meſſe / arabũm ferax odorum
quam tellus creat / indicumq; litus.
illic & uiolis / roſisq; & illic.
ſpica perfruerer ſimul cilisſa.
atque ita exiguus pulex deorum
vitam philli tuo in ſinu experirer.

In candidum.

Nec maſturbator / pedico / ſiue cinedus:
nec gaudes medios ore uorare uiros.
Et tua non capiti nota eſt / non mentula cunno:
cur igitur non eſſe candide purus homo?

Ad Ianum Marium Pont. Sipontinum.

Iam ceſſet mendax extollere Grecia vatem:
brumali ſterilis quem tulit Aſcra iugo.
nam licet ante cauis paſtor uixiſſet in antris
ille / ſacros hauſit poſt tamen ore lacus.
Tu nullas epotas aquas / ſed phillide tantum
ſpirante auſoniam iane feris citaram.

ad eundem.

Non phœbus / non te muſæ fecere poetam:
(Hoc quiſnam poſſit credere.) fecit amor.

ad gazam.

Non ſic agna lupũ fugit / accipitremq; columba:
œbaliosq; fugax dama / lepusue canes.
nec / quæ peruigili lucem uocat ore morantem:
effera terribilem ſic lea uitat auem.
Vt tu pegaſidas declinas gaza ſorores:
cirrhæamq; domum / pieriumq; nemus.

Dic mihi : muſarum quo crimine læſus abiſti
Impia quæue tuum cauſſa moratur iter
Iam memini Aonias captabas impiger undas
Crinibus inque tuis delphica laurus erat
Et teſtudineos feriebas pollice neruos:
Iúctaq; dulciſona carmina uoce dabas
At modo permeſſi renuis potare liquores:
Et dare compoſitis laurea ſerta comis
Iamq; fides tacito queritur marceſcere plectro
voxq; male in tanto pectore clauſa latet
Qua te cœpta uelis properante reſumere curſu
Hoſtis apollinei ne uideare chori.

Ad phillida roſas capite geſtantem.

Incertum / an faciat uenuſtiorem
Flos hic te mea phillis/hunc'ue florem
tui nobilitent magis capilli'
hoc liquet tamen / omnibuſq; conſtat
quam roſæ / tibi plus meſſe odoris.
nam fragrat roſa non niſi unum odorem:
tu cunctos pariter fragras odores:

Ad Ianum marium pont. ſipontinum.

Quam cito diuinus furor & calor ille refrixit
quam cito pænituit phillida adeſſe tibi
Nempe furor vatum breuis eſt:ac fœmina quæuis
mobilior zephiro:mobiliorq; noto eſt.

De ſe & amore.

Iampridem in noſtro dum ſedem corde parabat
figere amor:ſæuas excutiens faculas
Flamma cor nobis : pennas ſibi aduſſit eadem.
Et pariter nocuit ſtultus utriq; puer:
Ipſe alio migrare nequit / ſed pectore clauſus
noſtro/ut in æterno carcere perſtat amor:
At nos aſſiduis uerſamur in ignibus/& iam
Exiguum in cinerem membra abiere mea

Ad lucium.

Sic te phœbus amet pater :
Sic cætus faueat pieridum tibi
Luci / deſine fuluiæ,
triſtis ſeuitiam carmine conqueri:
nec iam flebiliter uelis
mœſtas illachrimans ſpargere nænias

nam tu qui dominæ potes
dure ſeruitium tam graue perpeti;
ceruicemque truci iugo
depreſſam imperio dedere fœminæ:
o / luci miſer / o miſer
quid ceſſas fora / quid rumpere vincula;
vt tandem his cruciatibus
ereptus gnidiæ uota feras deæ.

De phillide.

Diuinum os / raram faciem / duo ſidera ocellos
vidit ut in ſpeculo / ſic bona phillis ait.
Et dubitamus adhuc Narciſſia credere fata:
cum modo ſin forma pene ego capta mea.

In feriæ ad tumulum auiæ.

Salue Auia: & manes auie ſaluete beati.
ſaluete & cineres / oſſaque cum tumulo.
Mutius en gemitu uobis / lacrimiſq; parentat
triſte canens triſtes carmen ad interia
O iucunda Auia / & plectro grauiore ſonanda
tu mihi curarum dulce leuamen etas:
Tu mihi iam puero pappamq; / buamq; dediſti
Et ſedi in gremio ſarcima parua tuo.
Pro quibus officiis / Cælo licet addita ſume
quæ non ingratus dat tibi iuſta nepos.

In Deliam.

Qui primum impoſuit tibi nomina caſta Dianæ
delia / non uerum norat aruſpicium.
Ille quidem caſtam uoluit te uiuere / contra
a te depulſus iam pudor omnis abit.
Delia ſi caſtum poſthac corrumpere nomen
parges / non nobis delia / thais eris.

ad phillida.

Lux erat / & media phillis te luce uidebam:
ſubduxti faciem tu mihi / lux abiit.
Nox erat / & media nihil ipſe in nocte videbam:
nudaſti faciem tu mihi / nox abiit.
Sic potes e clara noctem mihi reddere luce:
ſic potes e nigra reddere nocte diem.

Ad Antonium Lelium.

Leli delitiæ nouem Sororum.
cunctarum & pater elegantiarum.

cui / dum carmina concitatus æſtro
phebeo ad citharam refers canoram:
adſtant & veneres / cupidineſque:
adſtant & charites / facetiæque:
adſtant cum ſalibus ioci / & lepores.
te te ſecla futura / poſterique / ad
quos tranſmittere tot paras libellos:
maris laudibus efferent ad aſtra:
certatimque tuos canent honores:
at tu inter medius ſitus poetas
tanto maior eris: micantiorq́;
quanto argentea luna: quum tacet eſt:
maior ſideribus / micantiorque eſt.

Epi. margaritæ ſororis infantulæ.

Me fratrem exacta uixdum trieteride / me ne
fratrem infelicem linquis amata ſoror?
Heu quo nunc decor ille oris: quo blandula uerba
fugere: & formæ gratia rara tuæ
Inuida te cloto / te fata inimica / deique
te ſoror immites eripuere mihi
At quamuis mihi rapta / Auiæ coniuncta peteres
tu tamen eliſias umbra nouella domos.

Ad phillida.

Me quoties ſpectas: toties mihi candida philli
infers cruenta vulnera.
Quæ tot: tantaque ſunt: ut nec podalirius unquã
ſanare: nec chiron queat.
At tu ſola uales: & eris mihi qualis achilles
fuiſſe fertur telepho.

In Baſſum.

Omnia baſſe tenes / ſcis omnia baſſe / refersq́;
omnia nec toto quod ſit in orbe taces.
Cæſar ab Hiſpanis Romam proficiſcitur oris
accipiat ſacris ut diadema comis.
Carceris euaſit tandem fera uincula gallus:
qui nunc depoſitis pace uiget ſagulis
In nos extremi meditantur bella britanni:
heluetiiq́; truces: indomitique Getæ.
Barbarus in Libicis bello ardet maurus arenis:
nec ceſſat mediis ſirticus hoſtis aquis
Turcaque romanas euertere preparat arces:

Et iam claſſe ſinus nauigat Ionios
Hæc / & mille alia aſſidue cum baſſe loquaris
dic quoque qui tibi ſit / Dio age baſſe / pater.

De phillide.

Phyllide conſpecta/adtonito ſaturnius ore
o ego quam fierem nunc bene Cicnus ait.

In ſtatuas coricianas a ſãſouio patre cælatas.

Quod ſpiro/ingenue fateor debere merenti
ſanſouio/ac tanto glorior ipſe patre.
Illi at plus debent ſuperi:quod marmore in iſto
ſpirant aſtrigeri numina terna poli.
vera loquor/non eſt humano hic ſanguine cretus:
fingere mortales qui ualet atque deos
Mortali fas/eſt mortales fingere/diuos
qui finxit/certe diuus & ille fuit.

In eaſdem

Corcius/ſcalptos/uates/dat/perficit/effert.
marmor/opus/laudes/ſumptibus/arte/chelij.

In eaſdem.

Intactum nihil eſt / nihilq; reſtat
quod non carminibus uetuſtiores
vates extulerint / poetiusq;
cantarint modulis /. & arte mira
hic laudat coriti piam / ac pudicam
mentem/quod pietate / ſuppliciq;
voto traxerit e polo tonantem
cum matre/atque Auia: ſuumq; felix
nomen tradiderit perennitatis
nomen/quod nequeat dies edaci
dente abrodere/ſqualido ueterno
annorum ſeries uel occupare
hic inter ſuperos ſuos locandum
cenſet coricium:uocatq; numen
quartum coricium / ille ſed polita
largis ſumptibus/& deis dicata
cantat marmora / liberalitatem
tam magnam cithara afferens canora
hic autem/ſuperis tribus honores
idem quos celebrat bonus coritus
Annæ quum ſacra lux redit/uidetq;

vates ad pia templa conuocatósque
qui de more sacris dehinc peractis
ad conuiuia læta/feſta/fauſta;
ac menſas ueniunt deum ſuperbas.
ter felix coritus/quaterque felix:
cui tot carmina:totque contigere
laudes/elogia/ac celebritates.
at quamuis coritum canant poetæ
quamuis & coritum canāt camœnæ
tamen ſanſouium canunt poetæ
nec non ſanſouium canunt camœnæ;
o felix pater/o manus beata,
patris/ingenium beatiuſque:
uos/uos/theſpiades/ſacrique uates:
mirantur/celebrant/canunt/ſtupentque:
laudant / ſuſpiciunt/feruntque ad aſtra
luſus hic pueri probat iocoſos:
ridenteiſque oculos/& os uenuſtum
ille at blanditias uenuſtiores
blandæ uirginis/& parente dignas
aſt hic Annæ auiæ refert ſenectam
auguſtam/ac placidam benignitatem
iunctam cum grauitate gratiaque.
poſtremo unanimes ſimul canendo:
quidquam prætereunt nihil poetæ;
non ulla eſt igitur mihi relicta
uati materies recentiori
ut uel marmora molliter redacta
in diuum effigiem/ſacrumque numen
vel dextram artificis peritiamque:
vel ſanctum/ætherium:pium ſacellum:
ac dignum pietate conditoris
rudi uoce canam rudis poeta.
qua re cum mihi ſit nihil relictum
nil dicam/niſi nil mihi relictum

Ad uictoriam coniugem auoli principis poſt
uiri obitum ueſtalem factam.

Terreni te martis amor uictoria ab aſtris
traxit/& humano ſic dea uincta toro.
Coniugiū aſt ubi mors rupit:rapit/unde pfecta ex
te pius

te pius in cœlum relligionis amor.

De eadem uictoria.

Dum uixit/uiuo placuit uictoria martis
cui fuerat uotis fœdere iuncta tori.
Nunc quoq; defuncto ut placeat uictoria martis
quam rectam ac ueram repperit illa uiam,
uestalis facta est uictoria/nanq; placere
marti uestaleis illa amata docet.

Ad phillida.

Laudibus extollo quod te mea phillis ad astra;
Sæpe refers uatum est fingere: ficta canis;
uera cano/meræ laudes: sunt omnia uera:
nam de te fingi nil (mihi crede) potest.
Quantum quisq; potest de te fingatq; canatq;
nempe tuis meritis inferiora canet.

De Antigeno rege & thrasillo cinico.

Rex ait antigonus/drachmam poscente thrasillo;
non regis est drachmam dare.
Cui cinicus/des ergo talentum: sed cinici inquit
rex: non talentum sumere.

Ad Gabrielem panormitanũ astrologũ.

Si foret o Gabriel hominis quoq; scire futura:
omnino æternis par foret ille deis.
At tu/qui cœlumq; tenes/& sidera calles
fataq; ueridico præscius ore canis:
non homo/crede mihi/non es mortalis habendus;
diuus es/aut diui pectore numen habes.

De suo discessu.

Iandudum patrios miser penates:
iandudum genitricis: atq; fratrum
liqui blanditias/iocosq; gratos.
et queis dulcius est nihil/sodales
simul destitui/quid o sodales
uos: uos destituisse passus unquam est
ille mutius/ille: qui solebat
dulci pieridas uocare uersu
nec non qui ueneres/cupidinesq;
Argutosque sales: facetiasq;
claudebat breuibus subinde cartis
sed quid de patria: sodalibusq;

quid de blanditiis/iociſq; gratis
infelix queror: iſta ſunt pilíq;
et nauci facienda / phillida cheu
cheu phillida liquimus: nefandum
Indignumque ſcelus/genas rigat nunc
propter me lachrimis: manuq; phillis
ſcindit cæſariem: feritq; pectus.
o phillis mea/quæ modo es miſella
feliciſſima mox eris: tuiq;
fies carmine mutii perennis

De phillide.

Phillida amo ante alias: nam me diſcedere fleuit
et longum: dixit: dulcis amice uale.

ad Lucium

Garrula quæ fuerat: Luci ſi forte requiris;
cur taceat muta noſtra thalea fide
Aurea phillis abeſt/nam poſtquam phillida liqui
materia eſt omnis prorſus adempta mihi.

TELOS.

C. Mutii Camilli sauinatis epigrammaton ad la-
num mariũ sauinatem Pont. ſipõtinũ.

Liber secundus.

Parrahia lætetmeſſeſq; furens canis excoquit albas
inuocat & pluuium terra perſuſta Iouem
Tandem grãdiloqui diuina uolumina tullii
et liui hiſtorias ponere Iane uelis.
Tempus enim noſtras te nunc admittere nugas;
atque animum blandis exhilarare iocis.

ad phillida.

O quæ floſculus es puellularum:
quot hetruria procreauit: unquam
formoſiſſima philli: parce: parce:
si fas eſt (rogo) corculum hoc miſellum
iandudum coquere impotente flamma.
sit o / sit potuiſſe ſat nocere:
& uitæ arbitrium: neciſq; habere:
quid te funera iuuerint amantis:
cui primum dubia genæ gemellæ

nunc

nunc lanugine ueſtiuntur/ & cul
pimpleum licuit mouere plectrum
ſed iam funditus occidi/nec ex me
reſtat quid/ niſi candidæ fauillæ
atqꝫ ater cinis / o puella ſero:
ſero inquam huic cineri dabis medelas.

Ad menalium:

Si quando canis ad citharam reſonantia docte
fila mouens niueo pollice mænalia
Saxa ferasqꝫ trahis / mulces ſtiga nubila pellis
ſitiis aquas / uolucres adlicis / aſtra moues.
Biſtonii iurarem animam tibi uatis in eſſe,
ni tantum odiſſet fœmineum ille genus.

De adamante & phillide.

In domitus lapis eſt adamas : nec frangitur ictus
durities lapidem ſed tamen illa decet
Et quāquā indomitus/ quāq & duriſſimus ille eſt
attamen hircino ſanguine conteritur.
Indomita eſt phillis : precibus nec frangitur ullis
at non tam a decet phillida durities.
Tandem adamante licet duro ſit durior illa
frangetur noſtræ ſparſa cruore necis.

De lucilio puero.

Formoſus Arno nans puer lucilius
Ludensqꝫ thuſco flumine
Feruentis æſtus : & faces apollinis
vndis leuabat frigidis.
Sed dum lacertos huc & illuc candidos
Incautius iactat miſer:
ſubmerſus atri gurgitis uoragine eſt
parata præda naidis.
Viuens Adonis extitit lucilius
At morte factus eſt hilas.

Ad antonium pont. portueñ Cardiñ. Sauin.

Iam ſeptem (puto) ſunt dies : & ultra
Ex quo primum epigrammaton libellum
legendum tibi miſimus uerende
antoni pater : ille tunc benigne
exceptus fuit & de hinc ſerena
perlectus facie uſque ad umbilicos

tui uno mihi ut ore retulerunt.
iſta credimus omnia eſſe ueras
et refers nihil ipſe / dequæ noſtro
quid tu / neſcio / ſentias libello.
yerum ſtultus ego / tuam requiro
qui uocem / ſat enim tacendo clamas:
noſtre quid mereant ineptiæ / & quid
de noſtru quoque ſentias libello.

ad hilum puerum.

Nox mihi formoſa luce eſt formoſior ipſa:
grataq; lux quamuis / gratior illa tamen.
Luce datur uix poſſe artus ſpectare decoros:
oraq; / & ætherias lumina nigra faces.
At nox largitur longum formoſa / diuque
vſurpandum oculis te puer hile meis.
Plura ego non dicā / ne quis malus audiat unquā
in ſomnis quales des mihi delitias.

De phillide.

Frigidius nihil eſt / nihil eſt & caldius iſta:
phillis enim eſt flammæ & frigoris una domus
Iu ſe autem glacie/ſed in omneis utitur igne:
concremat igne alios / at riget ipſa gelu.
Sic quoque credibile eſt ætnea cacumina eodem
igneis/ac gelidas uertice ferre niues.

De galla

Quod non puer ſit nata galla naturam
incuſat / & Deos/deaſque non ceſſat
conuitiiſque / iurgiiſque / diriſque
lacerare / & execrare / quæ tamen / ne ſit,
poſſitue dici fœmina integra omnino:
fricat puellas partibus uiri fungens:
et depilatas pumice / atque pſilotro
nates procaci uenditat iuuentuti.
ſic galla quod nequibat eſſe natura:
his eſſe cepit moribuſque/factiſque.

De theſeo/& quintilio

Theſea pirithous quondam dilexit amicum:
at nunc quintilius theſea fidus amat.
Pirithous forti peragebat nil ſine theſeo:
ſic peragit theſeo nil ſine quintilius.

De phillidis coma.

Phillidos ætheriis Berenice uidit ab aſtris
Cæſariem auratam : compoſitumq; caput
Cumq; ſuos nimium ſpectando expleſſet ocellos
vix tandem ex alto ſic ait illa polo:
miror / & obſtupeo (quid enim māifeſta negētur)
nuper ut hanc licuit cernere poſſe comam.
Vincimur heu / nec nos defendit uirga cononis:
nec proſunt pharii uincla ſuperba tori
I nunc / & nimirum placeas tibi regia conuix:
atq; habeas samio : callimachoq; fidem
terræ autem inuideo : cœli miſeretq;:pigetq;
quid mihi cum cœlo : me mage terra iuuat.
præmoneo : uæ dis : uæ Aſtris : uæ deniq; cœlo:
Hæc date si perget sidera uincet humus.

De amore & venere.

Veneris cubantem gramina inter filium
ſoporeq; obpreſſum leui
vermis memordit exiguus ore improbo
læuamq; perſtrinxit manum.
tunc ictus ille & ingemiſcens o uenus
mater dolorem ah quantum / ait.
Hic : hic puſillus intulit uermis mihi
cui mater / o nate inclite
tu quoq; puſillus cum puer ſis : quæ facis
Dis : hominibusq; vulnera.

De gauro.

Inter complexus optate gaurus amicæ
dum iaceret nimium ſic iacuiſſe iuuat:
Dumq; columbātim inſertis dat baſia linguis:
dumq; refert miſtis blandula uerba iocis:
Concubitu in medio eſt (ſic illum fata trahebant
a uenere infernas iuſſus adire domos.
gaure tuo interitu exulta : nam funus amarum
quod ſolet eſſe aliis / id tibi dulce fuit.

De eodem

Neſcio an infelix gaurus:felix ne uocandus
mortem obiit ueneris dum peragebat opus.
Quæ nam erit o ſuperi poſthac ſecura uoluptas:
Si perimat miſeros uel uenus ipſa uiros.

In oppianum.

Cum nec grāmaticoſq; rhetoraſq;
unquam legeris oppiane: cum nec
codex ſit tibi græcus / aut latinus:
& cum ſis odio nouem camœnis:
inuiſuſq; mineruæ: Apollinique:
cur tentas critici: palemoniſq;
Fungi munere dic (rogo) oppiane:
An places tibi quum boni poetæ
expendis bona carmina: aſteriſco
addens neſcio quid / uerumq; delens:
quid / ſi carpere pſittaccum coturnix
auſit / rectius & uelit docere:
quid / ſi dulciſonos ſtrepens olores
coruus erudiatq; corrigatq;:
qua re iſtos calamos / libelluloſq;
deponas / moneo / tuis male apta
ſunt arma hæc manibus / ſed ad colonos
adcurre / & cape ſarcula: aut bidentes.

De phillide & uenere.

Effugiens rapidos ſoles mea phillis amictu
depoſito gelidis membra lauabat aquis.
forte uenus uidet hác/uiſaque adcurrit ad amnem
& ſtupet / & ſtupido ſic ait ore dea:
dicite mortales quænā eſt uenus: ipſa ego: an iſta:
quam uenus ipſa aliis: tam uenus iſta mihi eſt,
Quod foret hæc idæ ſi uiſa in uallibus: ultro
ceſſiſſent mecum nata: ſororque iouis.

De duabus Eliſis.

Aeternum gemine metuerunt nomen eliſæ
morte / quod haud poterit pdere tempus edax
Altera dardanio traiecit pectora ferro:
Se ſibi Cantharides altera dante perit.

De conſpiratione in Clemente ſeptimum
pontificem maximum.

Quis iam deos regnare / quis cœlo Iouem
Habitare demens iam putet:
Nec di: deorum regnat aut uſquam pater:
vel ſi tamen ſunt cælites:
Curant nil mortalia / ac contemnere

Illos puto humanum genus.
Nam cum ſceleſtas impius quidam manus
ad ferre Clementi pio.
Aedemq; petri diſſipare: exſcindereq;
Auſus ſit hoſtilem in modum.
nec non profanoq; / & ſacrilego milite
penetralia ſacra / ſanctaq;
undare / compilare / rapere / euertere
impune prædo quiuerit.
Romamq; ferro / & igne / ſanguine oblitus
tirannus euaſtauerit.
regnare diuos: & iouem putabimus:
Curare ſeu mortalia:
Heu quo pium / quo iura / quoue fas (rogo)
abiere feſtino pede:
Aſtræa fugit nempe cum uirtutibus
Ex orbe terrarum omnibus
Quarum in locum ſubceſſit impietas: nefas:
Habendi amor: fraudes: doli:
Crudelitas / tiránus / inuidentia:
perfidia / rixæ / odium / & ſcelus.
Olim uetuſtas fabulata eſt impium
Fuiſſe quoddam hominum genus
Qui bella dis inferre ſint auſi / & iouem
trudere ſupernis ſedibus
Huc uſq; nugas / fabulaſq; credidi:
ac uaniora ſomniis.
Sed falſa tandem non fuiſſe / comprobat
Atq; indicat præſens fides.
Inuentus eſt / qui Chriſto: & omnibus deis
Bellum nefandum indixerit:
qui templa diuum auguſta / qui ſacraria:
qui pontificias Infulas:
qui apoſtolorum dona / qui Gazas petri.
qui antiſtum claras domos.
Qui deniq; urbem exhauſerit: uexauerit:
Ac funditus deleuerit.
O ſæculum non ferreum / ſed terreum:
aut ſi quid etiam peius eſt:
quo: quo miſelli: & pauperes deuenimus /
mortale

 15

Mortale quo fluxit genus
Heu chriſtianæ dedecus ſectæ/heu nota
inuſta ſacro nomini.
Fundata chriſti ſanguine:atque corpore
relligio ſancta deficit.
Non turca nobis bellicoſus:non ſcitha
non maurus aſper obſuit.
nos / nos ſumus ruina/nos clades ſumus.
imuſq; noſtra perditum.
At tu pater Cœleſtis/optime/maxime:
qui cuncta nutu temperas.
Si nondum ad unum exoſus homines:& polo
antiqua si pietas adhuc
Reſtat/ſcelera tot/tantaq; amore (precor)
infixa noſtris mentibus.
Ducibusq; ſcelerum eueniat:atq; autoribus:
pœnas luant ut debitas.

Ad ruſum.

Quid quæreris/quid fles Romæ crudelia fata:
Et uiolata truci milite templi Deum
(Nō mala nō lachrimis poſſunt/quæſtūue leuari)
o muti:nobis dicere rufe soles.
vera refers / ſed non adeo ſum ferreus ipſe:
qui ſpectem siccis funera tanta genis.

In claudū/& deformē:qui pulchrā duxerat.

Claudus es ipſe deus/tuaq; eſt uenus aurea cōiux:
ſiam gradiuus o ego nunc ſuperi.

De retoricis ad herēniū Q. cornificio adſertis

Per ſtiga cornifici paſſim dant iubila manes.
inferniq; parant rumpere clauſtra Iouis.
nocte/ſitu/tenebris/lethe/ſqualore/ueterno
obrutus Autoris iam reuireſcit honos:
At decus Auſoniæ lætatur tullius oræ:
quod ſit falſa humeris ſarcina dempta ſuis
Cornifici ignotis lux alma infunditur umbris:
nec minus ipſe ideo tullius irradiat.

Gallus gallinaceus.

Toxica non perdunt: non me uiolentia terret:
at contra perdo toxica/terreo uim.
Quid rides / audi/noſtro perit Anguis ab unguis.

C marmaricus

Marmaricus pauitat meq; canente leo.
quid uiolentius hoc/aut quid uitoſius illo eſt.
et tamen hiic cedit/cedit & ille mihi.

De phillide & marte.

Aeſtus erat/dederatq; leui ſua membra ſopori
ad uaga fluminicæ murmura phillis aquæ.
mars ſpectat:uenerem q; putat/iamq; æſtuat amés
Inſtat/& hanc tacito tentat adire pede.
Et uim paſſa foret:ſtrepitu niſi territa/& armis
ſenſiſſet martis protinus illa dolos.
Quæ mox ſic fata eſt/uenerem nũ me eſſe putaſti?
non ſum ego/quam teris/mars tua Cipris/abi.
Vah mars quam lepide phillis te noſtra fefellit:
dum tu oculis nimium credis inepte tuis.

ad theleſinam.

Tres ſunt (ſi memini) ad ſũmũ uel quattuor ãni
ſpernebas cupidos quum theleſina procos.
Riſit/ut aduertit/tantos rhamnuſia faſtus:
decreuitq; parem iuſta referre uicem.
nunc ubi florentis ceſſit decor ille iuuentæ:
ſulcauitque ambas ruga ſiniſtra genas:
quos contempſiſti prius/his contempta ſuperbe
cogeris inuiduo ſicca iacere toro.

queritur poeta.

En hos tot muſis/phæboque impendimus annos:
ſcilicet ut nobis præmia nulla darent.
Premia sed data ſunt/ſi hoc eſt dare premia/tandẽ
quæ dederis/celeri mox rapuiſſe manu.
me miſerum / cantus aliis/& gaudia muſæ:
dant autem fletum/triſtitiamque mihi.

ad apollinẽ ꝓ lano mario pôt sipõ.ægrotãte

Lucis æternæ pater/atque princeps
ſiderum/& magni moderator orbis:
quique cœleſti reſeras olimpum/&
lampade condis.
Phæbe/cui tellus patarea ſeruit
qui colis delon/tenedique fluctus:
Cui claros patet/rhodiumque litus
delphicaque antra.
Huc uolens adſis precor:& medelas

adfer

Adfer/herbarum medicosque ſuccos
ſi queunt caſti pia uota uatis
Flectre diuos.
Nanque muſarum decus:atque alumnus
Et tui ductor gregis/ & magiſter
pontifex ianus grauiter furenti
febre laborat.
Aridas fauces ſitis aſpra torret
et tremunt artus/glacieque corpus
nunc riget languens/modo ſuſcitato
Aeſtuat igni.
Ah potes tantum facinus/ſceluſque
ferre (ſi fas eſt animo peræquo:
vt febri vates ſacer a profana
Exagitetur.
Ille ſeu uincto pede/ſeu ſoluto
concinat uates/maro/tulliuſque
aurea lingua/& numeris canoris
eſſe uidetur.
Illum ego adſpexi quoties mouentem
plectra phœbeæ citharæ/modosque
ore fundentem: retuliſſe dulci
orphea cantu.
Ille in Auguſta procerum corona:
qui comam rubro redimunt galero:
verba dum profert phalerata/grandi
fulminat ore.
Sed ueni tandem pater/atque morbos
hinc ſalutari iubeas abeſſe
dextera/ſic o uigeas perennis
Flore iuuentæ.

Euchariſticon incolumitatis Iani marii pont. ſipont. ad apollinem.

Huc ades ortigiæ cuſtos natalis apollo:
huc ades/& propera.
Hæc cillenææ fugiat ſumpſiſſe prius te
aurea plectra liræ.
Indue depoſitas ueſtes/& dente capillos
pecte citoriaco.
Et nardo perfunde comas:lauroque uirenti

tempora uincta gere.
Et tecum aduenieus felicibus omnia pennis
dextera portet auis.
Nam tibi ceſpitibus ſacras ereximus aras:
hoſtiaque eſt uitulus:
Cornua cui fulgent auro / & Metania lætis
quem ſaturauit agris.
Ianus ope/auſpiciiſque tuis e pectore febrim
depulit horrificam
Quam non humane uires/non gramina ſuccis
certa ſalutiferis
Adiuuere / tuo tantum ſemel imploraro
nomine conualuit.
Is tibi nunc ſoſpes cumulans altaria donis
ſoluere uota parat.
Et mactat uitulum / & paſſim per compita coſtū
ſpargit Achemenium.
Quæque colorati miſerunt thura ſabæi
fumida flamma cremat.
Vrunturque ſimul/quas & panchaia merces
gignit / & Aſſiria.
At operata ſacris / læto clamore iuuentus
te canit / & celebrat.
Certatimque tibi contendit dicere laudes
verſibus / & cithara.
Per te Phæbe ſalus diuino numine iano eſt
reddita pontifici.
Seruatorem orbis terrarum pulcher agieu
te uocat omne genus.
Tu uel ab infernis medicamine ſedibus umbras
ad ſuperos reuocas.
Qua te ades/adſpiraque tuis/dum carmina cātāt
dum faciuntque tibi.

Ad phillida.

Miſiſti mihi philli roſas/tibi carmina mitto:
carmina conueniunt / conueniuntque roſe.
Eſt gnidie roſa ſacra dæe / ſed carmina phæbo:
cipri ſanctā roſas / carmina phebus amat.
Tu venerē ſequeris/dux eſt mihi magnus apollo:
et citherea tibi/ſed mihi phæbus adeſt:

Rite tuæ

Eſte tuæ ueneris miſiſti munere/& ipſe
mitto tibi phœbi munera rite mei.
Conciliat hilam puerum Iulo amatori
Pulcher hilas docuit non ſe tigride natum:
nec de caucaſeis progenitum eſſe iugis.
ſed placidum miti geſtare in pectore numen:
numine quo bilem placet iule tuam.
Si tibi iam bellum indixit/nunc marte repulſo:
Flens ultro pacem ſupplice uoce rogat.
Num uis alcide crudelior eſſe furenti:
ſi neſcis/& hilas Herculis ardor erat
In perillam gutturoſam.
Quid monſtri hoc/tibi quod perilla tantum
Inflata eſt gula: dic (rogo) parumper:
eſt ne utris tumor iſte:quem uidemus:
an iſtic boream:notumque/& eurum
luctanteis pater Aeolus repreſſit:
an qui pone humeros erat futurus
gibellis pendula guttura occupauit:
Bufo non ita turgidus ueneno eſt:
nec uentoſum ita tendit aura follem:
aut tibicinis ora ſic tumeſcunt.
certe iam noua (ut arbitror) uolucris
adcedes lacubus/paludibuſque:
atque onocrotalus perilla fies.
De quercu fulmine icta.
Inſita ab antiquis quercus longæua colonis
En iacet obliqua fulminis icta face.
Indignum facinus/nihil illi profuit olim
fœcunda humanum glande aluiſſe genus.
Eſto profuerit nihil hoc/at debuit illud
prodeſſe/immenſo ſacra quod illa ioui.
De eadem ad Iouem.
Arbori Apollineæ cum iuppiter optime parcas:
Ipſum te miror parcere nolle tuæ.
De phillide.
Ardebat procion rabioſo feruidus aſtro
et medios cœlo phœbus agebat equos:
Quū phillis comitata tribus pulcherrima nimphis
depoſita gelidas ueſte ſecabat aquas.

Alter ego actæon conſpexi hanc inſcius/in me
haec autem limphas iecit utraque manu.
Ignis erant limphæ/limphe mea mẽbra cremabãt
nec diu erat/totus quum miſer ignis erat
Sed poſtquam totum me uerſum uidit in ignem
hás cecinit diras phillis iniqua mihi:
Qui noſtras turbauit aquas:contrarius ille
Hinc ſit aquis/maneat ſemper & hoſtis aquis.

In mancinum.

Cum nec ſis ſaluus/fueris mancine nec unquam
Cur ſaluos:quotquot conuenis:eſſe iubes.
Qua dabis haud ſaluus mihi tu mancine ſalutem
Hac ratione dabunt codrus:& irus opes.

Ad poſthumum de phillide.

Cernunt ocelli pulchrius nihil noſtri
venuſtiusue phillide:
Pilique facerem ad cætera eſſe me cæcum:
Præter quam ad illam:poſthume.
Aſt illius me ſæpe priuat adſpectu
Inuidus/& ingratus ſopor.
Ingrate ſomne obeſſe quid iuuat nobis:
num tibi mali quid fecimus:
At quanto amicior/& benignior ſol eſt:
cuncta audiens ſol/ac uidens:
Qui mane ocellis phillidem meis reddit:
Auferre noctu quam ſoles.

De lucerna herus.

Argolicis helice/tiriis cinoſura notatur:
Seruat in eois nauta canopon aquis.
Phœbus communis lux eſt mortalibus:æque &
Communis curſu cinthia noctiuago.
Aſt helice:cinoſura/canopus/phœbus:& ipſa
Cinthia/leandro parua lucerna fuit.

De didone.

Quæ potuit fratris gladios phœniſſa cruentos:
infelix nequiit effugere ipſa ſuos.

De ſe ipſo.

Hæc mala me torquent:lacrimæ:ſuſpiria:flammæ
Et faciunt/ut ſit nil miſerabilius:
Flammæ pectus edunt/augent ſuſpiria flammas:
aſſiduis

Aſſiduis lachrimæ fletibus ora rigant?
In flammas flammæ/inuentum ſuſpiria/in undas
Me lachrimæ uertunt/terna elementa ego ſum:
Flāmas/uentum/& aquas (ne poſthac copia deſit)
Ex me uno facile ſumere quiſque poteſt.

De amore/& phillide.

Phillidis in gremio ludenti obrepſit amori.
Clam ſopor/atque oculos preſſit amica quies.
Abſtulit huic phillis ſopito ſpicula/gaudens
Se tanto exuuias eripuiſſe deo.
Excitus at puer:ut ſenſit uacuam eſſe pharethram:
Flens ait/eripuit quis mea tela mihi:
Erripuit certe phillis/proh dedecus ingens:
Proh pudor/en deus/en ibit inermis amor:
Hei mihi/qui dudum ſuperaui homines:q;deoſq;
nunc ſpoliis caſſum fœmina me ſuperat.

De eiſdem.

Flebat amor raptas ſibi turpiter eſſe ſagitta.
Dum cubat in tenero phillidis ipſe ſinu.
Cui phillis/quid fles:an non tibi ſuffici: ante hac
tot fixiſſe hominum millia:tot q; deum:
Vtar ego his calamis poſthac:nuptaſq; uiroſque:
Et ſuperos/& te cum ſuperis feriam.

Ad pont. ſipontinum.

Epigrammata illa pontifex inquis bona
tantum eſſe/ſummis quæ ferunt præconiis
phillida/locutus uerius es apolline:
nam præterillam nil quoque eſt nobis boni.

De Aſcanio tollentinate.

Vt profugi:miſerique phriges ductore perempto:
quem latia indigetem reddidit unda iouem:
Aſcanium adſciuere ducem/qui uiribus audax
ſuſcepit forti ſceptra materna manu.
Sic uates phœbi/ac muſarum caſtra ſequentes:
quos perauara graui tempora mole premunt:
Fautorem/atque ducem aſcaniū cupiūt:q;petūtq;
Et timet aſcanio præſide quiſq; nihil.
At mihi non opus eſt iam mæcenate uel ipſo:
dum placido aſcanius numine dexter adeſt.

Capra nutriens lupum.

Paruũ alo capra lupũ dedit hũc mihi paſtor alẽdũ
et nunc ecce meis admouet uberibus.
Lacte meo mea mors alitur: mihi tollitur hoſtis
uertere enim ingenium gratia nulla ualet.

Ad phillida.

Quidnam quod properas puella quidnam eſt:
aut quo quemue fugis: fugis ne amantem
Cui tu charior es ſuis ocellis:
certe illum fugis (ut puto) puella:
ſed fruſtra fugis/ille te eſtuanti
clauſam pectore continet/nec unquam
excludet/fuge/ſi placet/uolaque:
ille te nihilominus tenebit.

Ad Balbum medicum.

Sæpe meam ſupplex oraui balbe thaliam
ederet ut meritis carmina digna tuis.
Illa diu renuens/tandem sic fata.quid urges:
deſine me blanda ſolicitare prece.
Iſtud enim noſtris (si neſcis) uiribus impar
eſt onus/atq; humeri talia ferre negant.
nanq; ego quo tantas extollam carmine laudes:
queisue illum potero concelebrare modis:
Quem phœbus/phœbiq; puer docuiſſe feruntur
quique ferum erudiit ſemiuir Aeaciden.
Inferior cedat docto cum fratre machaon:
tuque huic o uictas da quoque coẽ manus.
ſed quid ego imprudens ea nũc perſtringere tẽto:
quæ canere Aonias uix puto poſſe deas:
Hæc o balbe/rudis de te mea muſa locuta eſt:
Et lucet illa rudis/officioſa tamen.
Quod ſupereſt: oro te per dextramq;: fidemq;
me foueas: phœbi qui pia ſacra colo.
Phœbus enim amborũ pater eſt cõmunis: ab illo
ſunt conceſſa tibi gramina plectra mihi.

In latinum/cui uirilia execta fuerant.

Cum genus a latio ducas/nomenq; latine:
Dic mihi/quæ Gallum te modo cauſſa facit:

Ad lucium.

Phillida neſcioquis noſtram chariſſime luci
liuidulis cœpit carpere uerſiculis.

audiit

Audiit hoc phillis/ridensq; ait/inuidus iſte
Inuideat/dum ſim digna quoq; inuidia.

Epi. s uilli.

Heic eſt pernities meri ſepultus:
potorum deus/& parens ſuillus:
quo nemo celebratior bibendo
in toto fuit orbe/nec futurus
eſt ullus/redeat licet prometheus:
illo non promachus/tricongiuſq;
non & cliniades/fugaxq; parthus:
non piſo/& cicero puer biberunt
ſeu plures calices/ſciphoſue plures:
& nunc tartareum adcolens baratrum
(vt reor) ſtigiam trahit paludem.

De uenere & amore.

Vere nouo hetruſcis in collibus alma legebat
Cipris odoratas ungue nitente roſas.
Viderat hanc natus/ſed credens phillida matrem
Impius aurato fixit amor calamo.
Clamauit mater/quid me ſcelerate laceſſis
nate/o nate in parens cum tua/ſumq; uenus.
Cur puer illacrimans/ignoſcas ah mea mater,
Errati/phillis tu modo uiſa mihi es.

De ſuis lacrimis: & ardore.

nituntur lachrime ualidam reſtinguere flammam,
nititur & lachrimas urere flamma graueis.
nec flāma lacrimæ/lachrimis nec flamma domatur
ſed retinent uires ignis/& unda pareis
Corpore ſic duo ſunt pariter contraria in uno,
clauſa nec alterutrum uincitur alterutro.

Ad ſabellum.

Quæris quid faciam ſabelle raris
dum meſſor ſecat aridas ariſtas:
tellusq; herculeo ſitit leone.
gnauus mane nouo torum relinquo:
quum nondum themidis/Iouiſq; natæ
iunxere alipedes equos quadrigis:
ore ſed radians iubar nitenti
ſpargit ſudificos ubiq; rores:
Et pallantias a phrigis cubili

ſurgens gorgoneum citat iugalem.
tunc falcem capio:leueisque culmos
adprendens reſeco:manipulosque
coniunctos ſimul adligo:& ligatos
in meta iuuat aggerare formam.
At quum ſol medio morans in axe
vmbram corporis efficit minorem:&
flammis puluereos hiulcat agros:
ſub tegmen fugio arborum:petoq;
fontem:qui ſcatebris fluens quaternis
et bullantibus incitatus undis
dat & principium caputque riuo
riuo/qui gelidis aquis adauctus
iucundiſsima murmurilla miſcet:
heic in gramineo toro quieſcens
uocaleis procul audio cicadas:
et ſi forte ſopor meis ocellis
ſtrepſit querulis ſuſurris
cæptum florilegæ iuuant ſoporem:
interdum cano fiſtulaque dulci,
quos phillis mihi dat leno dolores.
interdum querer : & meis gemendo
Ales daulias obſtrepit querelis.
Sic æſtum effugiens furentis aſtri
undis protegor : arborumque ramis
donec clunibus igneis uolucres
insignes uolitent & huc / & illuc /
ſuadentes propere ut domum reuertar.

De ſuo ardore.

Ver abiit blandum/uenit cum meſſibus Aeſtas:
nec dum abbiit lacero pectore flamma uorax.
Sed face torret amor:ſed lumina phillidis urunt:
Et cremat igniuomis me quoq; phœbus equis.
Quis (miſerum) obſiſtat tantis ardoribus:ipſa
non mater tethis / non pater oceanus.
non ſatis una fuit in me/non altera flamma:
nec fortaſſis erit tertia flamma ſatis.

De uiro rhicoſo & deformi qui pulcrã duxera
Formoſæ coniux ueneri deformis/& ater
Eſt datus/obliquo qui pede carpit iter.

huic

Huic datus eſt itidem coniux deformis:& ater
et cuius triſti ramice tenta tument.
Quæ nupſit peius/uitioſus uterq; maritus:
claudicat hic pœue:claudicat ille pede.

De eodem.

Candidus ut paries atra fuligine nigret,
inficit ut puram ſæpia furua niuem:
Proh ſcelus/a nigro ſic formoſiſſima nimpha
polluitur:quoties tangitur illa/uiro.
Quis non exclamet/quis non exſuſcitet iras.
Si uenerem iunctam uiderit Aethiopi:
nigritie Aetiopem nimirum hic uincit/at illa
Idaliam forma uincit/& ore deam.

De eodem ad uindicem.

Candida nigrenti ſotiata columbula coruo eſt,
Quid feret o uindex,africa terra noui:
Crede mihi/coruo pariet coniuncta columba
Quod nunquam titan uiderit ante/genus,

De ſe ipſo.

os a rabido cane
in limpha perhibent cernere imaginem.
ne ſæuus/dubito/puer
ſæue me in rabiem cipridos egerit.
nam pontus/fluuii/lacus:
fontes/ſtagna/marum ſemper imaginem
reddunt phillidis aureæ:
quæ me olim miſero surripuit mihi.

In cinnamum.

Poſt cœnam quidquid cænaſti cinname ſemper
Euomis/& culo cinname/& ore cacas.

De phillide.

Credideram nugas uatum/phorcinidis ora
quod iam uertiſſent in noua ſaxa uiros.
At nunc cum uideam cunctos in marmora mãteis
vix ſemel adſpecta phillide/membra dare.
quod nugas uatum/& figmenta poetica quondã
credidimus:ueram credimus hiſtoriam.

In aulum.

quod melico aſſidue cantemus phillida uerſu
Increpitas rigidis aule ſuperciliis.

& tua

Et tu ſunt tetrico multo grauiora Catone
verba/quibus carmen corripis ipſe meum.
Atque ais/o demens muti qui phillida tantum
concinere: & nugas qui potes uſque ſequi
Phillis in ore tibi eſt ſemper/tu phillida ſemper
mente agitas:ſemper phillida carmen habet.
Ohe non ne ſatis tot iam compleſſe tabellas
phillide / iam reſonat phillis ubique tua.
Ah quam præſtaret coluiſſe palæmonis artem
ſeu uis ſocraticum te didiciſſe ſophos.
Me ſequere:effugi taleis qui ſemper amores:
ſi neſcis:tota eſt fœmina perfidia.
His o Aule putas dictis reuellere prorſus
pectore te dulcem phillida poſſe meo:
Nil agis/& tamẽ haud ceſſas clamare/ſed heus tu
longe amor eſt pueri fœdior aule/tace.

In philomuſum.

Adflatis lic o furore vates.
atque ardes philomuſe ſeptimillam:
certe hoc eſt geminum pati furorem

In eundem.

Es uates/& amans:uatem philomuſe/& amantem
eſſe/canam quid ſit uis tibi:bis furere eſt.

De quondam præcellentiſſimo uate.

Tam dulci ora ſono mouet hic/ut carmine poſſit
ducere de ſcithicis aſpera ſaxa iugis:
Pallenteiſque undas mulcere Acherontis auari:
eumenidaſque truces/tergeminum canem:
Flectereque Armenias tigres:pœnoſque leones
nubilaque Aetheriis atra fugare plagis
Auſonii/& grai uates iam cedite fauſti:
hic eſt pegaſeis ortus/& altus aquis.

In quintum inæqualiter ſe tondentem.

Semper inæquales tondes tibi quinte capillos:
atque eadem lõga eſt hinc coma/& inde breuis.
Dextera pars crines humeros demittit ad ipſos:
at nudam occultat uix bene læua cutem.
Concertare tuum ſecum caput acriter/atque
Diuiſum in parteis arbitror eſſe duas.

Ad phillida.

 non

Non hibla / non himettus aut pæſti iugum:
ſeu culta menphis iugera:
nec menſa cælitum inſula Aſtipales / neque
odora prata cloridos:
nec facta telln⁹ nobilis deoides
prædone/tot flores creant:
Quot philli blando exore certatim exeunt:
quam uerba profers dulcia.

De mauro

Treis quondā aſtrologos ꝑprio de funere maurus
conſuluit: primus/igne peribis: ait.
Alter: aquis: ſpecula præceps delapſus ab alta:
tertius: euentu ſunt rata quæque ſuo.
Turris erat propter fluuiū: ex qua fulmine truſus
uicinum maurus decidit in fluuium.

Pro cluſino ad Ianum Marium pont.
Sipont. Cluſinus loquitur

Si fortuna inopem cluſinum fecit iniqua:
eripuit miſero non tamen illa fidem.
Intemerata fides ſatis eſt: hæc uincere craſſi
eualet/& phrigii regna beata midæ.
Adde / quod urbanis ſcateo ſalibuſque/iocisque:
tanti paupertas uel mihi poſſet emi.
non ego diuitias: aut ambitioſus honores:
Adpeto ſane mari: dum tuus adſit amor.

De phillide: & niue

Candore: atque gelu ueluti nix omnia uincit:
ſic uincit gelidam phillis utroq; niuem.

Ad phillida de ciocia catella iani pōt. ſipont.

Pace tua phillis liceat celebrare catellam:
Exigit & blandos blanda catella modos.
nam quod tu nobis/id parua ciocia Iano eſt:
ſubegit hæc Iano/tu mihi materiam.
mēphis A thātraden faciem ut ſumpſiſſe caninā
Refert/in hanc uerſam ſic charin eſſe reor.

ad ciociam.

Amabo huc uenias Ciociella:
huc inquam uenias ciociella:
Iani delitiæq; amorq; / Ianus
quam fouet gremio/ſinuq; geſtat

et præfert

& prefert geminis lubens ocellis.
tu laſciula tota: tota luſus.
tota nequitiæ: iocuſque tota:
lepos totaque: ſuauitaſque tota:
tota gratia: totaque es uoluptas.
tu iano ſegetem meo canendi
præbes: quem facis inclitum poetam:
nã dum mollicula refert camena
ille blanditias tuoſque luſus.
dumque lucidulum: tenellulumque
tergum prædicat aureoſque uillos:
dum te melle catella dulciorem
hibleo canit eſſe: ſacharoque: &
præponit ſimul omnibus catellis:
is præponitur omnibus poetis.

Ad eãdem catellam.

Poſt hac auſim te ferre cicicia uerſu:
non quia non gratum: ſed quia mi uetitum.
Phillis enim uetuit repetens hæc uerba ſubinde:
phillide erit potior nempe catella tibi)
Qua re da ueniã: quid: quod uel pene pudendũ eſt
materiam noſtri carminis eſſe canem.
Nil mihi uobiſcum eſt catulæ: catulique ualete:
parendum eſt dominæ phillidis imperio.

In cinædum maledicum.

Tune pios audes impune laceſſere uates?
Quos fortaſſe putas fellis habere nihil.
Falleris: & nondum ſcis irritare poetam
Quid ſit ſed quid ſit protinus expediam.
Excitus ille tuas perſtringit carmine ſordes:
fucataſque genas: uulſaque membra notat
Ille fricat ſalibus ficos: atque ulcera nigris:
Ridet & adtritas glandibus eſſe nates.
Et canit ut ſoleas centum ilia rumpere amantum:
Inguem nec tibi ſit ſeſquipedale ſatis.
Hoc eſt: ſi neſcis: ſtulte irritare poetam:
poſt hac uel nil tu: uel bene diſce loqui.

In condilum.

Si ut fieri quandoque ſolet: quem carpere cogor
linguam mireſſe malam condile ſalſe refers.

Si mala:

Si mala: quæ carpit: ſi lingua eſt iure uocanda:
quæ fellat: certe cond'le peior erit.

De venere quærente filium.

Amiſſum credens puerum quærebat amorem
meſte uenus: multos quæſierat que dies:
Hunc tandem poſita reperit cytherea pharetra
ludentem caſto phillidis in gremio.
Et nunc marmoreo tendebat brachia collo:
nunc dabat oſtrinis oſcula preſſa genis.
quem ſimul ac pætis mater conſpexit ocellis:
ſubridens placido ſic uenus orſa modo eſt.
Mentiti: cæcum qui te dixere cupido:
phillida cum teneas: lumine utroque uides.

Epi. Iulii fratris infantuli.

Siſte: qui properas: gradum parumper:
& uerſus lege paucu los uiator.
prolés tertia ſanſoni puſillo
infans Iulius hoc tegor ſepulchro:
quem uixdum bene menſtruo peracto
curſu ad eliſios migrare lucos:
extinctum lacheſis ferox coegit.
hoc te noluimus latere: qua re
felix nunc abeas: & pede & ſecundo
cæptum perficias iter uiator.

meleager moriens.

Si quæ cum totis urit fax oſſa medullis:
ſurgeret e flammis o Atalanta tuis:
Igne lubens iſto morerer/gratumque fuiſſet
optandumque mihi tanto in amore mori.
At cum fatalis perdat me ſtipitis ardor.
cauſſaque ſit lethi mater iniqua mei.
Excrucior/ſtigiamque inuitus ſubeoque paludē:
reſtinguet rapidam forſan/& illa facem

Ad hirūdinē in ſtatua medeæ nidificātē.

Ales/quæ getici crudelia facta mariti
raucis querelis perſonas:
Cur in medeæ gremio paris oua: fouesque
Pullos furentis in ſinu.
An ueſana tuis illam fore credis amicam/
natis/ſuos quæ ſuſtulit.

Cur puteus pratenſis in agro ſauinate cele/
bretur a puellis.

Cypria iter faciens/atq; æſtu feſſa diurno
pratenſem ad puteum uenit:& hauſit aquam.
utq; ſitis grato tandem ſedata liquore eſt,
edidit hæc blando dulcia uerba ſono:
seu puteus/ſeu tu fons diceris:eſſe perennem
te iubeo:ac taleis fundere ſempre aquas.
Et quia ſunt teneræ noſtro ſub iure puellæ:
ad lymphas ueniet quæque puella tuas.
tuq; puellari circundatus uſq; corona
dices:quid potuit plus dare diua mihi:

ad phillida.

Flebam ego ſæuitiamq; tuã:imperiumq; ſuperbũ:
iurgiaque indigno uix patienda mihi.
Tamque graueis miſero fundebam ex ore querelas
cogerem uti merum flere uel eumenidas
Fleſti itaq; / ac uidi lachrimas:ſed ſic quoq; philli
in peluſiacis flet crocodilus aquis.

ad Flaccum iuriſconſultum.

Deſine cæſareas iandudum euoluere chartas
hibernum codex dormiat inq; diem.
multiſora nunc Flace decet te ludere canna:
quod teſtudinea dictat Apollo lira.
nunc ſuperare libet cicnorum ſunera uerſu
mellifluo:quæſtus ac philomela tuos.
nunc fas libethri latices:heliconia tempe:
antraque phocæi uiſere opaca iugi.
Solis enim rapidi feruentibus orbita bigis
ardet/& inſano ſirius igne furit.
qua re depoſito iure omni/& codice clauſo:
det tritoniacos loros adunca ſonos.

de phillide.

Biſquinque muſæ:quattuor ſunt gratiæ:&
matres duæ cupidinum
nam uita phillis noſtra in illis omnibus
eſt muſa/gratia/& uenus.

De euno:& galla.

Concubitum petiit ſemel Eunus/Galla negauit:
Eunus item petiit/Galla negauit item.

Quærenti cauſſas/cur ſæpius illa negaſſet:
Reſpondit culum galla dolere ſibi.

Ad cherinthũ/a quo carmẽ amatoriũ accepat.

Mens olim cherinthe fuit mihi:nolle petulco
amplius in puero quærere delitias.
Iamq; o ſancta venus tali reſolutus amore
impoſui templis plurima uota tuis.
At nunc illa retro uerſa eſt ſententia blando
carmine/iamq; mihi priſtina furta placent.
Eheu quæ noſtris immiſſa eſt flamma medullis:
Eheu quis uexat mollia corda furor:
num tua me miſerum cæpit cherinthe thaleia:
quid loquor/at cæpit me tua forma magis.

Ad phillida.

Ita philli noſtrum cor ſe habet:
vita illud/& mors reſpuunt:
mors/illud ut uiuat:cupit:
at uita/primum ut occidat.
Sic morte defectum petit:
Viuitque uitam non habens.

Lira a ſulpitio inſtaurata adloquif laurentiũ.

Quæ comes Euridices fuerã modo p ſtiga: poſſẽ
euridicem ad ſuperos nunc reuocare liru.
vtq; coronides trepidis diſcerpta quadrigis
reſtituit medico gramine membra deus.
Corpora laurenti mea ſic quaſſata nouauit
ſulpitius docta doctior ipſe manu.
Vnde tibi artificem reſonantibus undiq; neruis
Cõmendo/ingratam non iuuat eſſe liram.

Epi. eidni pueri.

nequitiæ:luſus:ueneres/riſusq;:iociq;
hoc tecum in tumulo cidne ſepulta iacent.

De amore.

Quam miracula magna ſunt amoris:
Et quam magna potentia eſt amoris.
Iandudum deus ille me perurit:
Iandudum cinis ipſe ſum/nec ignem
tamen conſpicio ue/ſentio ue.

Ad phillida.

Arbore ſi frondes gaudent/ſi frondibus arbos:

Non tamen hæc ollis gaudia perpetua.
nanq; ubi riphæas aduexit bruma pruinas;
Exuit ornatas arida ſilua comas.
Sic o quæ forma nunc es candore ſuperba;
Iſte tuus candor poſt modo nullus erit.
Carpe igitur breue uer fugientis philli iuuentæ;
et uere a folijs nomen habere puta.

Telos.

C. Mutii Camilli sauinatis Epigrammaton ad Ianum marium sauinatem Pont. Sipontinum. Liber. III.

TERTIVS E nido pēnas proferre libellus
tentat/& ad ueſtras iane uolare manus.
Sed neq; adhuc bene firmus hic ē/ignaruſq; uolādi
quam uereor/curſu ne cadat in medio.

Ad phillida.

Naſcenti tibi diuarum manus adfuit omnis
philli/& certatim dona beata dedit.
nam cytherea decus lætis adfluit ocellis:
largita eſt faciem tindaris ipſa ſuam.
Incinctæ charites admorunt hubera/& una
fouerunt tepido lucida membra ſinu.
tradidit ingeniumq;/& cor dea uertice patris
edita/quæ clipeo gorgonis ora gerit.
Paruaq; pierides ſparſerunt tempora rore
caſtalio/& tenere ſerta dedere comæ.
At tibi/quæ lecto contendit ſpicula cornu:
cinthia donauit caſta pudicitiam.
Qua re ego diuarum tot dona ingentia philli
multiplici/ac uario carmine in aſtra feram.

In fabullum.

Quod nigro ſale/uerſibuſq; noſtris
perſtrictus fueris/doles/gemiſq;
atq; iraſceris/& mihi minaris:
ni cantem palinodiam fabulle.
si ſeruaueris os fabulle purum
poſthac/nec mediam chloen uoraris:
cantabit palinodiam Camillus.

Ad fuſcum.

Ingenio/formaq; potens/natura benig*n*a
cui tribuit larga munera rara manu:
Fuſce/quid optabo primum tibi/quid ue precabor
pro cæptæ nuper fœdere amicitiæ:
nempe ſit ut facilis/mitiſq; in amore puella;
impoſuit collo quæ noua uincla tuo.
Et pueri aligeri faueant tibi/& alma dione
adſpiret concha ue cta citheriaca.

De Fannio.

Fannius audierat uino euaſiſſe poetas
et rudium patrem/teion atq; ſenem/
Id credens/uini quantum non accipit orca:
hauſit/eo ut fieret entheus ille modo.
Entheus haud ille eſt factus/ſed captus utroque
primum oculo/& mox eſt uita ſecuta oculos:
I nunc/& bacchi preſens dic uatibus eſſe
numen/cum uates ſic necet ille ſuos.

De phillide.

Et pulchra eſt platāus/pulchra eſt & iaſpis/olorq;
pulcher/perſpicuis fons quoque pulcher aquis.
pulchrū ebur/argētū pulcrū/lac pulcrū/adamaſq;
eſt pulcher/pulchræ purpureæq; roſæ.
pulchrior at platano mea phillis/iaſpide/olore,
fonte/ebore/argento/lacte/adamante/roſis.

In saloninum.

Biſquinq ue luſtra computas ſalonine:
Experſque degis uinculi maritalis;
nam coniugaleis reſpuis faces/tanquam
illæ paternam ſint domum crematuræ:
et quod nefandum iudico ſcelus/cunctas
congreſſu/& aditu fœminas tuo pellis.
ac ſit licet puella lacte concreto:
meandriique oloris albior plumis
ſcithiciſque niuibus / quas uaporibus nunquā
contaminare quiuit igneis titan
ſic delicatior cuniculo/atque hædo:
paſſerculoque nequior:columbaque
tamen:ſceleſte pellis/& ſalonine
huiuſce facti redditur tibi nulla
ratio/ſed æque conticeſcis ac mutus.

At quī puellas odit/& tacet cauſſam:
aut tellat/aut pædicat/aut ſubit draucos.

De phœbo & amore.

Victor ab actiaco remeabat litore phœbus:
poſtquām niliaræ terga dedere rates.
Fortiaq; Auguſti: præclaraq; facta canebat:
et ſua in aduerſos ſpicula miſſa duces.
ſed dum forte canit/tenerum conſpexit amorem:
Cui deus/hoc pacto bella geruntur/ait.
Contra amor/abiecta quæris ueſane pharetra
Aemonias iterum paſcere phœbe boues.

De ſe ipſo.

Non amo me: quoniam phillis me nō amat/ & mi
non faueo/quoniam non fauet illa mihi.
Eſſe hoſtem mihi me ſtatui/quoniam hoſtis ab illa
Ducor/trux mihi ſum/trux quoniā illa mihi eſt.
nec uolo/nec quæro uitam/cum mortuus ipſe
Sim Domine in memori mente/animoq; meæ:
Illaq; deſiſtit nunquam me exurere/corpus
nec tamen in cinerem uertit/& oſſa/meum.

In panaretum prætorem
Arretinum.

Furum maxime/signifer latronum:
templorum ſpoliator/atq; prædo:
arretiq; ruina: uaſtitaſque
vredo: procellaque: Agri/& urbis!
prætor panarete hoc uelim rogant[i]
declares mihi per nouem sorores:
nunquid tartara ſint: & impiorum
ſedes: quas ſtolidi canunt poetæ:
nunquid ſint quoque cælites olimpo:
qui plectant hominum nefanda facta:
Declara hoc (rogo) ut ſic manus rapaces
ſemper ſint tibi/ſic & auferendi
nunquam copia deſit/& facultas:
o uerres noue dic/quod ipſe ſentis.

Ad priſcum.

Venit hianteo rorans tua muſa liquore:
Cinctaq; uirgineas fronde uirente comas:
uenit/& ut noſtros intrauit priſce penates.

cinnameo

Cinnameo totam ſparſit odore domum.
Dein mihi pimpleas meditatum carmen ad undas
obtulit/ Ambroſia dulcius illud erat.
Aſt ego nudato adſurrexi uertice/& olli
mutua/sed longe dona minora dedi.

Epi. Cornelii pueri aretini.

Quod puer/atq; inueſtis adhuc creſcentibus annis
raptus es ad ſtigios dite uocante lacus:
non uita ante tibi corneli turpiter acta:
sed nocuit formæ gratia dia tuæ:
Quam rex infernus dum nobis inuidet:ah te
ah rapuit/menſis præpoſuitq; ſuis.

De phillide uenante.

Arma pharetratæ phillis ſubcincta dianæ
ceperat/hirſutos iamq; premebat apros.
Hanc puer arcitenens/blãdam ratus eſſe parentẽ,
vidit/& hos triſti ſoluit ab ore modos:
Infelix mater quis te furor impulit ire
venatum/& triuiæ ſigna pudica ſequi:
num forte in ſiluas redijt cinareia proles:
an fugis inuiſum ſic ericina uirum:
Ah mea blanda parens in noſtra re uertere regna:
aut tecum imperium/meq; perire iube:

In hermum citharœdum.

Doctius iopa/phemioq; dulcius
chelin sonoram percutis.
Iuueniſq; olimpus/& celenarum adcola
arundini cedunt tuæ.
Omnes fatentur hoc/(negare quis poteſt)
Probantq; maiorem in modum.
At improbant hoc herme/quod iuuenculos
mutoniatos ardeas.

Bombix naſcens.

Alitis oua fui ledam excluſiue fatendum eſt:
Nam tepido excludit me quoque uirgo ſinu.

Bombix moriens.

Hactenus indulſi ſomno/uentriq; ſepulchrum
nũc ſtruo/quo uiuus moriar/mox deide reſurgã
mortuus/ut reparet cõſumptam erucula proleẽ,
sic pereo/ruſuſq; redit mihi uita quotannis.

Morus diſtricta queritur.

Inuide quid ſtringis frondenti e uertice crines.
non ſatis æſtiuo eſt carpere mora die:
Heu ubi nunc pietas:ſpolior miſerabilis arbos:
vt dem luxuriæ ſerica lauta tuæ.

De ſe ipſo.

Res mira eſt/quod amor faciat tot vulnera nobis:
nec vel tantillum ſanguinis inde fluat.

Ad phillida.

Iunonis oculos/palladis
manus/papillas cipriæ
Thetidisque candidos pedes
hetruſca habes puellula.
beatus eſt / qui te uidet:
qui audit/beatus septies
Semideus eſt/quem diligis:
atqui ſuo te continet
sinu / deorum maximus.

De imag.e argi: & ius:argus adloquitr pictorē

Dempſit Atlantiades uitā mihi/dulcibus olim
quum mea ſopiſſet lumina arundinibus.
Tu me tartareis renocas nunc pictor ab oris:
et uetera inachidi cornua reſtituis.
Debeo:quod uiuo/mortalibus/at prius ipſis
triſtia debebam funera cælicolis.

De imagine ius.

Magnus apellea perfectam iuppiter arte
inachiam ut adſpexit bouem:
Exclamauit:uti picta es modo/uiua fuiſſes
si olim iuuenca o Inachi:
raptor Agenoreæ non diceret eſſe puellæ
mutatus in taurum Deus.

In ſextianum.

Vt liberalis ſextiane dicaris.
viduæ catullæ:diuitiq; largiris:
orboq; gellio:& ſeni/& locupleti
mullum bilibrem/tibridis lupum uernam:
turdumq; obeſum:ac turturem ſaginatum,
hæc ſextiane liberalitas dici,
poteſt:& iſta nominanda ſunt dona:

ſic

sic liberalis/ & benignus/ & largus
piſcator eſt: quum piſcibus uagis obfert
hamos doloſos uermibus ſubornatos
vis liberalis ſextiane: uis eſſe
largire nobis / pauperi ue ruſino

De Atlante.

Atlantem flammis periturum dixit aruſpex
eſt autem: id metuens: nauita factus atlas.
nec tamen idcirco fatum euitauit acerbum:
aſt in naufragio fulmine tactus obit.
diſcimus exemplo atlantis non poſſe refringi
quod iam tergeminæ conſtituere deæ.

Ad phillida.

Flammis uror ego/ glacie tibi pectora torpent:
Flammis immodicis: immodica glacie.
Immodicis dicor flammis miſerabilis ipſe:
tu glacie immodica diceris eſſe fera.
Conſulere ambobus ſi uis/ deme immodicū illud
de flammis nobis de glacieq; tibi:

In batrum ludi magiſtrum.

Cur factus gracilis: macer: recuruus:
confectus: tenuiſque: iunceuſque:
olim qui fueras nitens: obeſus.
ſucciplenus: & integer: ualenſque
ludi batte magiſter ede: quæſo.
num magno ſtudio: & laborioſo
Id tibi officio accidit docendi:
an pernox uigilas: & ad lucernam
ſcriptorum excutis inquies cateruas:
quanquam proficiunt parum comati
iſti ſub ferula tua merentes:
et te abſumere noctibus capaces
plus uini: quam olei canunt deunces:
at certe uereorque: ſuſpicorque:
ne/ dum iſtos pueros: iuuenculoſque
tam bellos: lepidos: tenelluloſque:
vrges: ſolicitas: agis: trahiſque:
hæc cura extenuauerit: laboſque:
ac plus obfuerit tibi dione
quam quæ uertice patrio creata eſt:

Lira orphei in cœlum relata.

Eumenides olim/ditemq;/& tartara mulſi:
mulceo nunc ſuperos/Aetheriaſq; domos.

De glauco.

Vir/ſpōſa/& neutrum glaucus:dū uita manebat:
extitit: at ferro:febre:ueneno obiit.
Hermaphroditus erat:grauiter qui febre laborans
enſe ueneuato pectora tranſadiit.

Ad phillida.

Humida nox cæco terras uelauit amictu:
et refero ad duras mollia uerba fores
nec mihi nocturnis adparent ignibus aſtra:
candida nec roſeo delia uecta iugo.
At ſi te in tantis adſpexero philli tenebris:
obiicient ſe oculis delia:& aſtra meis.

De laudibus frediæ fontis.

Grata fredia naidum.
mater:& domus inclita:
quæ meam prope patriam
thuſcis edita collibus
proſilis pede rauco:
Digna tu ueteri mero:
digna nectare:dignaque
mella fundere himettia:
Et lac perpetuo nouum:
ſacharumque liquatum.
o chriſtallina limphula
muſcoſo lapide affluens:
Cui fagus ſuper eſt ſita,
fagus:quæ rutilantia
aſtra uertice tangit.
Tu præbes ſitientibus
iucundiſſima pocula:
donec aridulam ſitim
pectore expulerint ſuo
faucibuſque peruſtis.
Heic quum ſirius æſtuans
vrit culta noualia.
ſunt umbracula frondibus
contexta arboreis: ſimul

eſt &

eſt & frigus opacum.

Ad te fredia confugit
paſtor lanigeri gregis:
et ſuos modo fiſtula
agreſti/modo tinnula
voce ludit amores.
mox autem recubans ſolo
ille gramineo/leui
ſomno languida membra dat:
dum pictos uaga calculos
lene interſtrepit unda.
Salue fons ſacer. & mea
ora caſtaliæ uice
irriga precor/irriga:
ſic latex tibi uitreus
fredia uſque perennet.

In ſecundum.

Leuis:& impubis pædicabare ſecunde:
ſed tunc ætatis/non tua culpa fuit.
nunc pædicaris quum ſis barbatus:& hirtus:
iam non ætatis/culpa ſecunde tua eſt.

De Amore & phillide

Prompſerat e pharetra calamum deus aliger: ira
percitus:ut duram phillida percuteret.
Sed dum oculos tendit/ſinnoſaq; cornua limat:
ah ſibi tum lenam ſauciat ille manum.
Saucius exclamat: fugiunt o philli:nec in te
uiribus utuntur ſpicula noſtra ſuis:
At propriũ Autorem feriunt:quod ſi optio detur:
vel te præponant tela faceſq; mihi.

vitis ab hedera ſubfocata.

Quid me hederæ amplexu ſubfocas lenta tenaci;
an/niſi me extincta/ non tibi uita placet,
Tu uitam eripies:cui debes inuida uitam:
Et precium uitæ mors erit ipſa datæ:.
Opprimor/at miſeræ mihi tu ſubcurre thioneu
ſi te plus hedera dulcia muſta iuuant:

Ad iouem opt. max. pro iano mario pont.
sipont. captiuo.

Aeterna Mundi mens/ſator/arbiter:

diuum

diuum poteſtas: atq; hominum pater:
prognate ſatutno/ac cibelle
qua liquidis caret Arcas undis:
Qui fulguranti magnus ab aethere
nunc urbium arces: nunc iuga montium:
bellumq; portendens/neceſq;
lemniacis iaculare telis:
Si humana cæli uertice reſpicis:
et fata pectus triſtia/duraq;
tangunt / fer(oramus) ſuprem
rector opem / & miſerere noſtri.
En ianus arcta compede pontifex
vincitur / eheu ferrea cruribus
lora ille geſtat delicatis:
nec teneris datur ire plantis.
Arcentq; palmas uincla tenacia.
nec munus explent articuli ſuum.
mandare quondam qui ſolebant
tot nitidis grauia oſſa chartis.
Squalore / morbo / ſordibus/ac ſitu
confectus atri carceris horridas
ſentit tenebras / ſingulifq;
mille neces patitur diebus.
Captiuus ille eſt eloquii parens:
& ſpes latini nominis: & decus:
ſplendorq; Muſarum: atq; phœbi:
quiq; feras agit axe tigres:
Qui tullianis præditus artibus:
rariſq; largi dotibus ingeni
inſignis: ornatuſq; ſanctis
moribus exſuperabat omnes:
Quiq; eloquenti pectore maximum
mulcebat orans pontificem ac patres:
ſacrum / atq; ſancitum ſenatum:
vertice purpureo micanteis.
Ad cuius omnis Romulidum manus
vocem ſolebat currere/nec ſeni
obſtabat ætas ingraueſcens:
nec puero inſoliti labores.
Cuius fluebat nectare dulcior

 30

Exore/necnon grandine denſior
ſermo profunda / qualis olim
dulichii / pliiique regis
Quique hippocrenes roribus ebrius :
Oeſtroque uatum concitus entheo
suetus camænarum choreas :
threicio retuliſſe plectro:
Captiuus inquam eſt/proh dolor:& ſcelus.
ſeruatur & fors ad grauius malum:
hoc omen auertas benigne
Iuppiter/& ſibi dexter adſis
Sed iane : qui te nexibus æreis
vinxere / qui te tot miſeris modis
torquere gaudent innocentem:
saltem hominum genus illud eſſe
At sunt leones : queis nec atlanticu
Litus/nec ad nos India decolor
Immanioreis miſit unquam:
nec pote ſæuius eſſe quidquam:
Qui dudum ab Arcto/& theutonico geli
agris relictis / & late patrio
hoſtilibus uenere ſignis
Italiam/latioſque colles.
Effrænis:atrox/aſpera/barbara:
Immitis:exlex/impia/diraque
Gens/quam (ut reor) compreſſa ab orco
tiſiphone genuit profundo
Quæ fana:& ædeis : relligioſaque
delubra diuum/altaria:signaque
vaſtauit : uſit : diſſipauit
ſacrilego: trucibusque dextris
hæc gens procellæ : moreque turbinis
arces ſuperbas : auſoniæ caput:
vrbem potentem / maximamque
excidio dedit/atque cladi.
Tui hæc nefandum iuppiter optime
indixit aris gens capitolii
bellum/exinaniuitque ſacræ
et rapuit penetrale cællæ.
Nec tot fuerunt flagitia hæc ſatis

ni re

Ni te quoq; aſpris Iane cohorcitum
nodis/ & inſtar parricidæ
In tenebris religaſſet atris.
Te propter omnis nunc iuuenum cohors
hetruſca luget/cum populo patres
nunc te sauinates capillis
Depoſitis iuuat uſq; flere.
Planguntq; mœſtæ pectora uirgines
tenella: nuptas unguibus in genas
sæuire cernas/ & nigello
molle latus redimire amictu.
Flet ſordidatus frater amabilis.
flent & ſorores/atq; nepotuli:
cognati/amiciq;/& clientes:
et mea flet pariter thaleia.
Qua te huic potentem porrige dexteram:
ſubcurre ab alto iuppiter/ & prece:
fletuq; motus ſupplicantum
redde focis marium.paternis.

De ſe/ & pirauſta.

Donec in ardenti reſidet pirauſta camino
uiuit/at'e flammis ſi uolet/emoritur.
Res miranda quidẽ/q̃d/ qui omnia deuoret/ignis
Beſtiolam hanc tantum nutriat/& foueat.
Nec minus hoc mirũ eſt/oculi me phillidis urunt:
dumq; uror/mediis ignibus eſſe iuuat.
Nec ſolum iuuat/at paſcit quoq; corpora flamma
Deme illam/demes uitam/animamq; mihi.

Ad phillida dum canebat.

Optio ſi detur/te malim audire canentem:
quam modulos citharæ phillis apollineæ

In Cæcilianum.

Ad ponis cauleis /ad ponis oluſcula nobis:
ſi quando ad cœnam cæciliane uocas.
Nec lactuca tuis/nec deſunt intuba menſis:
non eruca ſalax/non breue cheropolum.
Deniq; tot nobis tua catinula ſufficit herbas:
quot non/ſit quamuis fertilis:hortus habet.
Hanc tu hominũ cœnã eſſe putas insulſe:iuuẽcos
Et pecudes poſthac Cæciliane uoca.

de ereptiõe

De ereptione iani marii pont. ſipontini.

Quiſquis hetruſiæ colit arua terræ:
qua paludoſi fluit unda clanis
gaudeat / lætas hilatique uoces
fundat ab ore.
Tuque/cui priſcus gemino ore ianus
præſidet/tellus poſito dolore:
et graui luctu capte nunc ſerena
gaudia fronte.
Ac renidenti facie decora
maximo ingenteis agito tonanti
gratias / noſtra fide qui / modiſque
tactus alumnum
Reddidit ianum tibi/patribuſque
et ſaluati populo / mihiq;.
quo ſine hoc cœli iubar intueri: et
uiuere acerbum eſt.
Et prius quantum lacrimare iuuit:
Ac genas ungui lacerare acuto:
nunc iuuet contra canere/ & per omneis
ludere uicos.
Tuque lesboum mea muſa plectrum
ſume/ & inflexa modulare uoce:
et ſonos uatis getici canoros
uincere tenta.
Ille nanque alter tuus / & magiſter:
cuius & ductu / auſpicioque laurum
tangere / & lucos potuiſti amœnos
uiſere cirrhæ.
Pontifex ianus marius cruentos
theutonum euaſit gladios/ & arctas
compedes cœtu ſuperum iuuante
cum ioue rupit.
Fuderas pro quo gemitus tot ante:
ſidera & mœſtis toties querelis
moueras/ſciſſos reſoluta crines:
nudaq; pectus.
Nunc & ingreſſus patrios penates:
ſoſpitatoreis memor ille diuos:
ac iouem in primis genibus potentem
nixus

nixus adorat.

O dies feſtis celebranda ludis:
et ſimul creta iſmaria notanda:
qua diu nobis licuit cupitos
cernere vultus.

Profer annoſum puer huc falernum:
condidit teſta quod Auus capaci:
ſplendide & qualeis genio parabas
inſtrue menſas.

Nam decet crebros hodie culullos
ducere/ & multo titubare baccho:
hinc procul/ſiquis fuerit (iubemus)
ſobrius/abſit.

Epi. Armellini cardinalis.

Qui Romam / fiſcumq; petri/qui templa/deoſq;
Sacrilega exhauſit/diripuitq; manus.
Ductus auaritia leges qui fixit iniquas.
qui ſceleri inuentor omnium/ & autor erat:
Armellinus in hac non ſolus clauditur urna:
nam fraudes ſecum/furtaq; cuncta iacent.
I procul hunc fugiens ſcelerata ſepulchra uiator:
ne te ſpectantem polluat iſte locus.

In Hibridam.

Quid tu uerſiculis tuis laceſſis
ſacras mnemoſines nouem puellas:
adſint utque tibi rogas canenti
demens hibrida/inepte/ & imperite:
o quam fallere / ſi deas benigne
exaudire tuos putas ruditus.
vis recte admoneamque/ cõſulamq;
os iſtud cito comprime infacetum:
ne/ſiquis lupus hoc modo rudentem
te præſenſerit / huc recurrat/ & mox
pro tardo laniet uorax aſello.

De phillide.

Vel fuit archetipus diuino phillis apelli
dum pelago emerſam pingeret ille deam.
vel ſi non patitur rerum hoc natura/profecto
phillis apelleis eſt mea par tabulis.

Ad venerem quærentem filium.

 32

Quid fruſtra/amiſſum quem reris / Cipria natum
veſtigas : oculis phillidos ille latet.

In auitum.

Phillida quod ſcribam/teneras & auite puellas:
fœmineum ingenium/corque:ais/eſſe mihi.
At tu / qui Draucos/ & ſcribis auitæ Cinædos:
nimirum ingenium/corque uirile geris.

De ſe ipſo.

Flens nocte tota lachrimis/dolorique
inſeruio / ſed mane paulullum ſomno
quieſco dum ſopitus: & ſimul ponunt:
quæ cor/ & animum lancinant meum / curæ:
hirundinum obſtrepente ſuſcitor cantu/ &
ad lachrimas reuertor/atque mœrorem.
actæa mater thracium gemens natum
quas ſæua mecum/quas geris ſimultates:
quid ue ipſe feci : quod meam auferas pacem:
adimaſque/ſolum eſt quod leuamen in tantis
cumulis malorum/ac molibus : neque extremo
frui ſopore me ſinis quieſcentem:
an Cizico / Bizantio ue / thrace ue
oriundus ipſe / me quod oderis / tanquam
ſim/qui ſororem læſerit tuam / tereus:
ah parce tandem:si eſt pudor:mearumque
solatium ne tolle (quæſo) curarum.

In Gallam.

Siquis concubitum poſcit te galla futator:
actutum huic læuers porrigis ipſa nates.
Et cunnum licet ille tuum prece flagitet:ac te
per ueneris natos:per ueneremque roget:
tu tamen uſque negas: tantumque ea galla pateſcit
altera nam dura eſt ianua clauſa ſera.
Qua re hoc: an canibus præcinctus fors tibi cũnus
latrat: ut in ſiculis dira hecateis aquis:

Ad phillida.

Quam uellem fieri cœlum:quo pluribus eſſet
fas mihi te mea lux cernere luminibus.

De Bruto/ & ſorore.

Formoſa eſt ſoror:elegansque Bruto :
Formoſus quoque Brutus/elegansque eſt:

Pulchrum diligit hunc ſoror decora:
pulchram brutus & hanc decorus ardet:
amantem hunc soror/ & uocat maritum:
hanc brutus dominumq; coniugemq;:
brutus baſiat hanc/ & iſta brutum:
hæc cum fratre cubat/ cubatque bellus
cum bella aſſidue ſorore brutus.
cumq; ſit ſoror hæc/ & ille frater:
nec ſoror tamen hæc/ nec ille frater.

De aduentu Iani marii pont. ſipontini.

Geſtiat omnis ager/ lætentur rura ſauini.
montis/ & exultent flumina rauca diu.
Cingite frondenti driades iam tempora quercu:
multifidoque ſacras pectite dente comas:
Exornent niueum gemmata monilia collum:
Contegat & tenerum palla ſuperba latus.
tuq; napæa ueni/ ludens quæ uallibus imis
Sanguineas tenui colligis ungue roſas:
atque age Acharnæis poſtes intende corimbis:
noſtraq; corticio limina funde croco.
Adſis & glauco quæ diceris edita ponto]
Sed ſtipata tuis diua cupidinibus.
Atria flammiferi quæq; adſeruatis olimpi
Ferte deæ celeres ad noua ſacra pedem:
Ferte pedem/ & dulces alternis dicite uerſus
ſic uos faſtidico diligat ore themis.
Et charites properate/ prius ſed comite crines:
oraque purpurea fingite culta manu.
Tuque ueni omnigenis circundata flora corollis
munere quæ tepidi facta beata viri es.
Quæq; geris pharetras/ humeriſq; uolantia tela:
Et nodoſa feris retia tendis apris:
Huc accede choro nimpharum ſepta tuarum:
ſic poſſis ſemper uirginitate frui:
Gnoſia ſic certa iaculeris ſpicula dextra:
ſic magis iſta tibi floreat uſq; cohors.
At uos pierides quid non celerate: nemuſque
linquite cirrheum/ caſtalioſq; lacus:
Linquite gorgonei quem præpetis ungula fontẽ
rupit/ & aonii florida prata ſoli.

Sed tamen æternum permeſſi e f lumine rore
 ſumite: & æterno ſpargite rore caput.
Fila quidem cithare tangeris fortius alte
 & pede tunc facili carmina culta f luent.
Te quoq; phœbe gradu cun cti pperante precamur
 fraterna uenias conſpiciende lira.
Ante sed intonſos lauro decorare capillos
 ne pigeat: nanque eſt laurus amata tibi
Hæc tua cum fugeret connubia: protinus arbos
 numine penei eſt facta perenne uirens.
Te nec Achæmeniæ remorentur nexa puellæ
 Brachia: ſed nimias aufuge blanditias
Plenius efficies id/quum tibi longa dabuntur
 otia/nunc deceat/quæ potiora/ſequi
Adſis & lenæe pater/qui præl.a miſces:
 Indaq; thirſigera concutis arma manu:
Et captiua iubes innectere uincula col o,
 agmina/quæ cæleri tigride uictor agas:
Perpetuo tibi forma manet: fruerisque iuuenta
 semper/& æterna cornua fronte geris.
Mitra corimbiferos exornat lidia crines:
 pictaque pampineum comprimit vua caput:
Tu curas hominum ſoluis/tu pectore mictum
 mœrorem pulſas: tu fera corda domas:
Funus Echionidæ/miſerandaque fata licurgi.
 et comites licabæ monſtra repanda mari.
Oſtendere tuum quid poſſit numen: & iræ
 certa tuæ Alcithoe iam documenta dedit
te ſanctis fama eſt olim fuiſſe poetis.
 si meteor: uati candide liber ades:
At uenias inquam tota comitante caterua:
 orgia concelebrat quæ furioſa tibi:
Quæq; deo plenæ frondoſam mænades hastam
 vibrant/atq; hinuli pectora pelle tegunt:
Et tremulis implent crepitantia cornua bombis:
 compulſantq; cita timpana rauca manu,
Silenus pandi dorſo uectetur aſelli:
 Seu uelit hic ferula ſuſtinuiſſe pedes.
Cuiq; piris fertur ſe coniunxiſſe puellas
 Iam tua/iam sirinx fugerit ora licet:

Huc ades icta præcinctus tempora pinu:
 sic ſit grata leuis ſemper arundo tibi:
Capripedesq; ſimul ſatiri / laſciuior omni
 turba pharetrati cui nocuere Dei:
Et Fauni celeres a fando nomen adepti:
 iactat enim ueſtrum plurima uerba genus:
Fronte cupreſſifera necnon ſiluane: ſed una
 hortorum cuſtos ſit Deus ille ruber.
Et quæ præterea ſilueſtria rura frequentant
 numina lætitiæ dona beata ferant.
Dumq; Iouis reducis ſacras operamur ad aras:
 fauſta uerecundo dicite uerba ſono.
Heic aurata gerens mactatur cornua taurus:
 quem pauit nitidis herba phaliſca iugis.
Heic ambuſta crepat paruo non murmure laurus
 Dantur: & in ſanctos nigra falerna focos:
Et quot diues arabs: quotq; india mictit odores
 extrema / in triuiis flamma perurit edax:
O lux optato nobis ſignanda lapillo:
 quem tulit eoi lucida concha maris:
Tu patriæ lumen / tu ſpem / decus / atq; ſalutem
 rediſti / per te eſt publica parta quies.
At genitor diuum / cœli qui ſidera torques:
 ingentiq; regis ſceptra ſuperna manu:
Et tonitru horrifico mortalia pectora terres:
 quum trifidum dextra fulmen ab aure iacis:
Suſcipe pro iano (quæſo) hæc antiſtite ſacra:
 cui bis neſtoreos da pater alme dies.

In Acticum.

Si pedit matho / balſamum / roſasq;
 et nidos / ais / vnicæ uolucris
 olere atticé / comprobasq; naſo.
 quod ſi idem faciat uel hic / uel ille:
 cui ſeſtartia non ſonent in arca
 centum / protinus hunc / ais: cloacas:
 grauem ſulphurei mephitim auerni:
 ac terrum mage ſiquid eſt / olere.
 uos ſoſtertia ſuaue olere merdam:
 vos inquam faciris mathonis / o ſi
 noſtre ſic oleant cacationes:

vt plus actice ſentias odorum

De prediis Carpophori cinædi.

Argiua de fece ſatus/ pauperculus olim:
nunc locuples tenet hæc prædia carpophorus.
Quæ non ingenio ſibi/ non uirtutibus ullis:
proh pudor/ euulſo podice ſed peperit.
nos uero miſeros uates quidquam eſſe pudicos
nil iuuat/ at dura pauperie premimur.
Dextera nempe magis ſunt lampſaciuſq;/ uenuſq;
numina/ quam phœbus/ pegaſidumq; chorus.

In carpophorum.

Quod ſis tam cito lautus/ atq; diues
factus carpophore impudice quodque
incedas oloſericis lacernis:
et graueis digitos feras lapillis:
quos tibi india perbeata miſit:
quodque hales foliata nicerotis:
paſtillos / diapaſma/ cinnamumque:
acceptum natibus referre debes.

Adloquitur linũ: & ille reſpondet.

Dic line: carpophori toties cur prandia captes:
Carpophori quoniam prandia lauta puto.
Carpophori tu lauta putas line prandia: aberras.
ſi lautum: culus quod dedit eſſe putas.

De laide: & Demoſthene.

Princeps eloquii/ decuſq; graii:
qui machæropio ſatus parente eſt
forma laidos: elegantiaq;
illectus bimarem petit corinthum:
cumque laida copiam rogaſſet
ut ſui faceret ſibi: puella
drachmas improba myrias popoſcit.
qua uoce/ & petulantia procacis
ſcorti territus ille abit ſuſurrans:
tanti non emo pænitere lai.

De poemate actii ſiceri qđ iſcribit đ partu uir

Virginibus Mariam legiſti ex omnibus unam:
qua genitus terris maxime chriſti fores.
Rurſus grandiſono cum gigni carmine uelles:
ex cunctis lecta eſt actia muſa tibi.

Chriſte parens ut non meliori virgine naſci,
sic poteras muſa non meliore cani.

De peplo phillidis

Auro ſuperbum textili peplum phillis:
arteq; laboratum noua:
Sua quod ipſa texuit manu templo,
magnæ intulit clam cipridis.
Sed cipris neſcia unde ueneri t donum:
mirata peplum nobile eſt:
Artemq; primum/mox locuta ſic diua
munus mineruæ hoc ſuſpicans:
In gratiam redire forte uis mecum
donis minerua cum tuis.

Ad Petrum Marinum Senenſis
Iuuentutis preceptorem.

Menia turritæ peruenit ad inclita ſenæ
deſtituens patrium noſtra thalera ſolum:
Scabritiem ut penitus ſub te purgare ſitumq;
poſſit/& inuiſam pellere barbariam.
tu certe eloquii non fons/terrenſue latini:
ſed mare es: hinc nomen docte marine tibi
Incipe melifluis formare agreſtia uerbis
pectora: nam labiis ſtat dea ſuada tuis.

De eodem Ciceronis libros interpretante.

Permultum: atq; diu meam rogaui
muſam/doctiloqui domum marini
ut ſacram peteret/daretq; longa
magnis oſcula poſtibus/uiroque.
aſt hæc irriguas ſimonideis
ſpargebat lacrimis genas/& ungui
crines dilacerabat immerenteis:
ſed poſtquam ſatis / & ſuper madenteis
deterſit manibus ſuis ocellos
hæc dixit mihi / cur trahi ſororem
nolentem dubios ſubire caſus.
nam nec caſtalii beata fontis
hauſi pocula: delphicam ue laurum
prefulgentibus attigi capillis.
quod ſi iuſſeris ii manus uenire
petri/qui dociles iuuenculorum

turbas

turbas excolit uſque tullianis
præceptis / ego protinus diſertis
explodar manibus/uirumq; cogar
cœtus in latebris timere cæcis.

De ſuo ardore.

Amplius haud noſtro nutritur corpore flamma;
corpus abit/flamma at reſtitit/illa ego ſum.
Verſus ego in flammas flāmis ardentibus uram
Q̃d ꝑpe erit/ꝑcul hinc heu fuge/quiſquis ades.

Ad cæcilium grammaticum.

O literarum cæcili latinarum
lumen/decuſque/enucleare te nobis
magnam uelimus rem/nec omnibus notam:
cur/quæ parens communis eſt Deorumque
hominumque/pecudūque/omniumq; brutorū:
genitale fundit quæque ſemen/ex cuius
ſatu creantur/quæ mouentur/ac ſpirant:
cur fœminino genere mentulam dicat
romana lingua: & ille mentulæ ſeruus:
qui patitur/& qui ſemen accipit tantum:
ſit maſculini generis improbus cunnus.
hanc queſtionem cæcili (obſecro) ſolue:
eſtoque Figulo/doctiorq; uarrone.

Epi. Angelæ: Muſā adloquit illaq; reſpōdet.

Angela: dic erato/tumulo num conditur iſto.
crede mihi/nulla hoc conditur in tumulo.
Si non heic/ubinam/dic/Angela conditur: illa:
unde profecta olim eſt/ad ſuperos rediit.

Ad Philænin.

Tota es cōndida/tota mollicella:
et formoſa/uenuſtula/elegansq;.
atq; es tam bona/tamq; liberalis:
ut quicunque tuum oſculum rogarit:
aut ſi charius oſculo quid ipſo eſt:
non unquam tulerit domum repulſam.
natura hac facili tua philæni
adductus uenio petens: rogansque:
ut/ſi nil aliis ſoles negare:
illud ne mihi deneges/quod opto:
optauique diu anxius/miſerque:

quod noctu lacerat/dieque pectus:
quod aufert oculis meis quietem:
quod fletus mihi ſubgerit perenneis:
et quod ſola potes dare o philæni:
non inquam femur/oſculum ue/at ingens
quod pendent nieueo monile collo.

Ad lidiam.

Tempore:quo primum ueſtris ſum captus ocellis.
ter me ſpectarunt lidia ueſtri oculi.
Ac primo obtutu furaris lidia nobis
dimidium cordis/dimidiumque animæ.
Dumque iteꝝ ſpectas/iterum mihi ſuripis illud:
reſtabat miſero quod mihi dimidium.
Frigidus/atq; exanguis eram quũ rurſus ocellos
uertis/& ætheriam conuomis inde facem.
Fax illa exanimus cœpit percurrere corpus
mortua reſtituens membra calore nouo.
Sic uiuus perii/ſic extinctusque reuixi:
uiuoq;(quis credat.)corde/animaq; carens.

Ad Iulium Aretinum.

Iuli pierii chori ſacerdos
ut diſcedere ſum coactus a te:
dulce & colloquium tuum reliqui:
nil grati mihi contigit:bonique:
et ſum dimidio mei carere
uiſus te ſine quandiu ipſe uixi.
nam quid dulcius eſt/beatiuſ ue:
conſuetudine quam tua frui ſci.
tecum & ludere libere/ac iocari.
et cantu/& fidibus ciære phœbum.
uitam reddite di mihi priorem:
quod ſi iſtud fieri nequit/peribo.

De lidia.

Legerat innumeros pulcherrima lidia uerſus:
phillida quos nuper luſimus in dominam.
Et mihi/quod duram ſemet tibi phillis/& acrem
prebuit/idcirco carmina tot meruit.
At nos/quod faciles nimium/fuimus q; benignæ:
biſſenis tantum uerſibus efferimur.
Quare ut plura mihi facias præconia:uincam

Iam poſt

Iam poſt hac duram phillida duritia.

Ad lidiam.

Quæ quondam facilis/benigna/clemens:
et mitis fueras puella nobis:
cur tam difficilis:ſuperba/& atrox:
et dura es modo facta:dic per omneis
oro lidia te deos/deasque.
an quod uerſiculis/ineptiisque
inſcribi peraues/legique noſtris.
ſi cordi hoc tibi/ſi placet/iuuatque:
expecta numeros tot a Camillo:
herbis quintia prata quot uireſcunt:
undas quot tiberis uehit:quot hibla
edit purpureos ſicana flores:
et quot leſbia baſiationes
ueſano petulans dedit catullo.

In pheloen.

Et uetula/& fœda es/ſqualetq; ærugine cunnus:
et quereris/quod non ſtet mea ſica tibi.
Stareque quo poſſit/crucis eſſe opus/inquis.
et quotquot bulbos fert megarenſis ager.
Non eget erucis pholoe/ac mea mentula bulbis:
nec/quod ſic iaceat languida/culpa ſua eſt.
Sed melior facies detur/uel mollior ætas:
fiet & orphea tenſior illa lira.

Ad muſas

Valete muſæ/tuque fons caballine:
et tu biceps parnaſſe:tuque delphorum
cuſtos Apollo cum tuis uale ſacris.
nam ueſtra profuere quid mihi plectra
dulceſue cantus:& poeticum nectar.
phillis ſerena ſæuior libiſſina:
calcato & angue/uerſibus meis facta eſt:
at lidia ultro blanda carmen expoſcit:
& mihi minatur:ni geram ſibi morem:
uerum illum extimeſco:ne meis olim
nugis & iſta phillis altera euadat.

Ad lidiam.

Ipſe ego dum ſine te ſum lidia:corpus inane:
atque anima uacuum permanet uſque meum.

Ad eandem.

Phillida dilexi dudum / ſed me oderat illa:
quam precesnec poteram flectere/nec lacrimis:
Hæc ego perſpiciens tandem aſpera uincula rupi,
Inqꝫ tuos fugi lidia chara ſinus.
nunc placata ultro phillis uocat/expetit/optat.
et ſtudet in thalamos me reuocare ſuos.
yerum agit hoc fruſtra/careat/quē ſpreuit/amante
digna quidem noſtra non erat illa fide.

In bathillum.

Pædicare bathille te popoſci
verbis ſimplicibusqꝫ pauculiſqꝫ:
vt mos eſt mihi/tu nihil negare
auſus/præ nimia benignitate
culum continuo mihi obtuliſti
qui tam purus erat nitenſqꝫ totus:
quam concha eſt ericina/uel ſalillum:
at mox cum oſcula baſiare uellem:
tam tetrum/& graue uirus edidere:
Vt culum tibi baſiare mallem.

Ad lectorem grauem.

Quid tetricā obducis frontē/quid lector aduncas
corrugas nareis: quid ſtomachare/grauis:
An fors diſplicuit meus hac tibi parte libellus:
dum me non caſtis moribus eſſe refert.
Fingimus o lector cuncta hæc/quantumqꝫ thaleia
laſciua eſt/tantum uita pudica mea eſt:
At qui dentatos præfers/iactaſqꝫ catones.
Forſitan hæc/quæ nos fingimus/ipſe facis.

Epi. Polidoræ.

Lana puella mollior tarentina:
cicniue iam medullula ſubalari:
magiſqꝫ candens lilio/liguſtroqꝫ:
et pulchrior pauone/phaſianoqꝫ:
at nunc: Amantium dolorqꝫ/fletuſqꝫ
polidora/triſti peſtilentia rapta
dum flamea/& iugalia expedit uincla
iacet heic: uiator lachrimis tuis parces:

Ad phillida.

Philli ſinit facies dum ludere/dumqꝫ iuuenta:
ludes

Inde uenit tacito pigra ſenecta pede.
Ah quoties rugis deformibus ora notaris
& quoties canas eſſe querere comas.
tunc fluxiſſe tibi non utile tempus/ & omnem
plorabis fruſtra prǽteriiſſe diem.
mane roſam grato uidi candore nitentem:
exhauſtam foliis ueſpere deciduis.
Et/quæ uere uirent in apricis collibus/herbas
Aeſtiuo rabidus ſirius igne coquit.
Vtq; diu glebas cœlum ſiccauit apertum:
pinguia ab aeriis arua rigantur aquis.
Omnia mutantur/facies mutatur/anuſq; eſt
turpis:quæ nuper bella puella fuit.

Telos.

C. Mutii Camilli ſauinatis Epigrammaton ad Ianum Mariũ ſauinatem pont. Si/pont. Liber quartus.

Quartus nugarum liber/iſq; nouiſſimus exit
in lucem/auſpiciis inclite iane tuis.
qui tibi/ſi parte ex aliqua placuere priores:
non minus (en agedum perlege) gratus erit.

De phillide.

Vt fugi imperium graue/impotenſq;
ſæuæ phillidos/utq; ſeruitutis
abieci iuga/depuliq; duræ
a ceruicibus his diu grauatis.
phillis ingenium ferolq; mores
mutauit/neq;/ut antea/minatur:
pacato facilis ſed ipſa uultu eſt.
vltro quin etiam uocare tentat.
errorem in ſua caſtra / ſuppliceſq;
miſcet flebilibus preces querelis.
atq; ut commoueat magis/magiſq;:
nec fingit caput/aut uenuſtat ora.
verum in ſordibus emori/ac dolore
mauult/quam ſine mutio eſſe amato.
ergo quid faciam : uocatus ibo:
an ſpretus toties/uicem rependam:

incertum

incertum eſt/mihi uos date o benigni
diui conſilium optimum roganti.

Ad carinum.

Scortum eſt: & fruſto panis conducitur: ultro
et dat aquariolis: datq; meliſſa coquis.
hanc tamen æque/ac illa foret/q̄ mœnia quiuit
thebarum impenſis condere uerſa ſuis:
ſiue Arethuſæas genita eſt quæ lais ad undas:
deperis/ & ſæuo carperis igne miſer.
Ah parce inſano tandem indulgere furori:
tantumq; ex animo deme tuo uitium.
Stultitiæ extremæ eſt: quod habes/optare carinæ:
omnibus expoſitos tamq; ſitire lacus.

Ad phillida.

Confectum aſſiduis animum nexare querelis
deſine/nec lachrimis uigibus ora riga.
nanq; ad ſeruitium redeo/ac tua iuſſa faceſſo
infenſa extiteris tu licet ante mihi.
non ſpoliis lætor/uel amantis morte puellæ
philli/nec obtuſo pectore ſaxa gero.
ſed mollis/mitiſq; ego ſum/nec fletibus ullis
eſt opus/ut flectar/uox tua blanda ſat eſt.

In Aelium.

nil opus eſt facere: ut notus ſis omnibus Aeli:
nam plane es cunctis tu/mihi crede/nothus.

De lepido.

Eſt uxor lepido lepore plena:
et formoſior omnibus puellis:
hanc ſpernit tamen ille/reſpuitq;:
gaudens ſordidulas inire mœchas.
at coniux lepidiſſima: elegansq;:
immiti aque uiro relicta/propter
nocturnos lemurum metus uagantum:
pulchellum fouet uſq; puſionem.
ſic loram bibat ut foris/bibendum
ſtultus dat lepidus domi falernum.

De leandro.

Aequor abidenus tranans Athamantidos helles
ibat in amplexus feſta puella tuos.
nec gelida illius calor eſt eñctus ab unda:

sed gelida inclauit pectore amantis aqua.
Admirabantur piſces mare feruere/regni
mutatum, nereus ingeniumq; ſui.
I nunc/ & modicum dic eſſe cupidinis ignem:
qui pontum in calidas uertere quiuit aquas.

De ſuo ardore.

Ecquid id eſt: flammis quod tã uehemẽtibus uror:
& torret fauceis tam ſitis aſpra meas:
non puer idalius facit hoc/non phillidis ignes.
tranſtulit in me Aetnam mulciber ipſe ſuam.
Sed quid ego aut ætnã narro miſer / aut vulcanũ:
hoc facit & phillis: idaliuſq; puer.
Nec niſi fonte tuo poſſum ſperare ſalutem
nixa propontiacis cyzice litoribus.

Ad ianum marium pont. sipont. Aemiliæq;
præfectum.

Splendor pontificum/gloria patriæ:
quo/quidquid reliquum feceret impotens
fortuna eloquii gentibus italis:
vno/ac nititur unico.
Te cuſtos hominum maximus/& parens
clemens/cui ſtigiam claudere ianuam
cœleſteiſq; fores pandere ius datur:
optans euehere altius.
præfecit populis/quos/rubicon fluit.
inter/meta ſoli/& terminus itali:
lictoreſq; dedit/cumq; ſecuribus
faſces terribiles tibi.
Atq; his nunc meritis auctus honoribus
ius e ſede tuis dicis eburnea:
pacatoſq; regis iuſtitia/ac fide
incorruptus/& integer.
Et quanquam auſoniæ maxima pars graui
bello ardet/ſibi dum uendicat hanc ſimul
et rex gallicus/& rector iberiæ
prolato imperio potens:
Septus barbaricis tu tamen enſibus
hinc/atq; inde/bona pace/quieteq;
tuto perfrueris/conſiliis agens.
altoq; omnia pectore.

quod

Quod gens ſiqua tamen deficere audeat:
mitiſque imperii rumpere uincula:
hanc tu continuo fortis /& impiger
cogis fræna reſumere
Veſtræ iane mari teſtis ariminum
uirtutiſq; animiq; /acris: & ingenii:
quod uidit prius ad mœnia milites:
quam ſenſiſſet haberier.
Delectus: igitur protinus in fidem
magni pontificis se dedit/ac tuam:
et quod depulerat ſeruitii iugum:
rurſus tunc ſubiit lubens.
Felix æmilia hoc præſide: ariminum
Felix ter nonies: cæteraque oppida:
Felices populi/iura quibus meus
ſortitus dare ianus eſt.
Vobis o liceat perpetuo frui
tanto pontificis munere maximi:
quo maius: meliuſque haud poterant dei
terris mittere cœlitus
At tu tanta licet iane negotia:
et tot ſuſtineas: ſis tamen ut memor
uatis quæſo tui: pectore conditum
qui te ſeruat in intimo.

In pamphilum.

Plurima cum dicas: nil quidquam pamphile dicis:
nanque inſunt uerbis pondera nulla tuis.

De uenere: & Adonide a uulcano deprehẽſis

Dum complexa ſuum uenus oblectatur adonin:
qua platani herboſum texerat umbra ſolum:
tardipedi deprenſa uiro eſt: quæ protinus ipſa
uincla recordatus: furtaque martis: ait.
Coniuraſſe mei ſacrata in fœdera lecti
mortales pariter: cælicolaſque reor:
Sum bene cœlicolas nodis tamen ultus ahenis!
mortales pœnam ſed mihi clune dabunt.

De lidia & phillide.

Forte ſalutauit me lidia phillide coram:
ignis & o noſter maxime: dixit: aue.
Hac uoce audita ſubitas exarſit in iras

phillis

Phillis/& exclamans more furentis/ait:
Quid moror eruere huic oculos: & ſcindere crineis
ac rigido impuras ungue notare genas.
Proh dolor/auſa meos uiolare venefica amores:
Inſidias capiti tendere & auſa meo:
Poſt oculos in me uertit furibunda minaceis
præq; ira ulterius dicere nil ualuit.
At plorans/& humi procumbens/tollere cœpi
ad genua iratæ phillidis ipſe manus:
Singultuq; præces miſtas effundere/& imos
manante ex oculis imbre rigare pedes.
Fracta quibus tandē eſt/animos ꝯpreſſit & acreis:
ſurgerem & ut/dextram præbuit illa ſuam
Siquis/profuerit quid nobis lidia/quærit:
ex illo phillis ſemper amica fuit.

Ad amicam.

Ades huic puella bella:
volo nanque ſauiari
nitidos tuos ocellos:
quoad alteram labella.

In ſacerdotem.

Cū ſcorto prurns/quā longa eſt/noctæ ſacerdos:
exercens veneris gaudia mille modis.
Mane autem ſanctas diuum conſiſtis ad aras:
tangis & inceſta ſacra/Deoſq; manu.
Quam foret hanc ſatius dextram præcidere/ſiue
In flammas/ueluti mutius/iniicere

Ad Ianum marium pont. sipōt. de theſeo:

Liminis ille tui cuſtos fidisſimus/ille
adfixus lateri qui fuit uſq; tuo:
Incidit in febrim theſeus longamq;/grauemque:
Aemiliæ tecum dum colit arua uiæ.
Aſt ubi romanaſq; arces/latiumq; reuiſit.
protinus ex omni pectore/febris abit.
Et nunc ille ualens ſubito redit optime iane:
non belle ſine te nanq; ualere putat.

Ad Antonium pont. portuenſem cardinalem ſauinatem in ſaturnalibus.

Pone uerecundum tandem mea muſa timorem:
ruſticus & procul hinc/fac/pudor omnis eat.
cōpede

Compede ſaturnus ſiquidem uenit ecce ſolutas
vt celebret multo libera feſta mero.
Datq; bonus magno dona officioſa patrono
grati animi teſtes/indiciumq;/cliens.
Tu quoque ſume animum clio/patriq; uerendo
quod bene conueniat/fer cito/ſiquid habes.
Auguror Aoniis munuſcula nata ſub antris:
quæq; nouem deceat numina: muſa feres.

Ad phillida.

Acus/tela/coluſq;/forficesq;
sexus fœminei feruntur arma:
hæc tractant mulierculæ: hiſq; uitam
suſtentant miſeræ laborioſam.
sed te talibus haud decet puella
uti/quæ domitrix cupidiniſq;:
et magni iouis/omniumq; diuum es.
arcus qum potius/pharetram/& igneis
alati exuuias dei capeſſe:
mortaleis pariter quibus; deosq;
phillis more tuo feri/uſtulaq;:

Ad paulum Iouium ſaturnalia celebrantem.

I propera/& largam Iouio dic muſa ſalutem:
saturnalitiis dum uacat ille iocis.
nec pudeat rauco garrire licentius ore:
edere nec madidis congrua uerba modis,
Omnia ſaturnus permiſit/& omnia ianus:
vnde ſuum raſit libera Roma caput.
Quod ſi uel petulans dicere/uel ebria/rore
dic tibi caſtalio gratius eſſe merum.

Ad Antoniũ põt. portuẽſẽ Cardiñ. sauinatẽ.

Do tibi uerſiculos/das aurea munera nobis
tu pater/o tanto munera digna patre.
nunc ſi theſpiadum tibi cum grege mittere apollo
Aequa tuis cupiat carmina muneribus:
Deficient olmeie tui/permeſiſq; rores:
quoſq; meduſæus iam pede rupit æquus.

In Antoninum.

Me primo/pulchrumq; meum antoninæ uocaſti
ad dubiam cœnam/pontificumq; dapes.
Principio/heſternæ ſuperarant quæ intuba cœnæ:
adpoſita:

Adpoſita/ & ſpicis alia bina tribus.
Putridaq; oua dehinc/glocientiq; eruta matris
Bina/mihi/ & pulchro toxica uiſa meo.
Semeſæ turdis oleæ mox quattuor: & cum
putri caſeolo marcida mala tria.
Nil dicam de pane/adeo qui durus/ & ater
extitit/eſuriens nollet ut eſſe canis.
Vappaq; pro ueteri nobis infuſa falerno eſt:
muſculus adriperet cuius odore fugam.
Qui primo ad cœnam talem uocat antonines
(ut puto) non niſi vult ille uocare ſemel.

Ad pætum de lesbia.

Illa lesbia/quæ ſolet uagari
Cœtu immiſta uirum per urbis amplæ
Aedes/balnea/porticus/theatra:
et quæ fœmineas fugit cateruas:
tanquam amaracinum madens luto ſus:
cunnum (uera fides) negatur ulli:
ſeu præbere nates uiro/quid ergo
facit lesbia pæte? lesbiaſet.

Ad ponticum.

Saturni uenere dies/rituq; uetuſto
quiſq; colit largo feſta iocoſa mero:
nunc & cauſſidicus/cognatus/amicus: & hoſpes
ſumit promeritis munera crebra ſuis.
tu quoque/quã mittit pauper/gratusq; Camillus
reſtim pro meritis pontice ſume tuis.

Ad phillida.

Me ſimulare:inquis/miſerũ mea phillis amorem:
ac non ſincere: & diligere ex animo.
Qui ſimulat:tantis non eſtuat ignibus:imbrem
non tantum feſſis exprimit ex oculis.
nec tam crebra trahit ſuſpiria pectore ab imo:
nec queritur toties ante fores Dominæ.
Quartus adeſt annus:ſeruiui quattuor annos
nempe tibi/necdum cognita noſtra fides.
quos mala ſunt ſæuo durum eſt perferre in amore:
non credi tamen eſt durius illa pati.
amplius at dubites ne philli:cor inſpice noſtrum
quod retines/index illud amoris erit.

In Ammianum:
Si quantus Ammiane naſus eſt tibi;
tanta quoque pendet mentula;
tuo ſalacis nempe tu potes dei
praſtare munus hortulo.

Epi. petri alcionii.
Ille ſacer vatum interpres/ſcyrone creata
Cui dedit æquoreis obruta nomen aquis:
Occidit immiti præreptus funere Petrus
Dum latii graios munere donat auos.
vtraq; lingua tuo lachrimas orbata parente
Funde/ & lugubreis indue meſta ſinus.
Si non & fato ſimul occubuiſtis eodem
voſque eadem ueſtro cum patre ſaxa tegunt.

Ad Ianum marium ſtratigopolitam.
Rupis Iane mari gloria theſpiæ
præſens aura boni cui fauet Euii;
et ſacro deus ore
dictat carmina pithius:
Quæ te/quæ inuida ſors eripuit mihi:
externaſque domos/ & loca uiſere
tam longinqua coegit:
Ah ſors/ah nimis inuida:
Noſtros quæ auſa iocos/auſaque ſeria:
auſa es colloquia & dulcia rumpere;
et diuellere amicos
iunctos fœdere perpeti.
nec riui lachrimis more fluentibus:
nec triſti gemitu:nec querulis modis
quidquam mota/ ſed undis
acris ſurdior hadriæ.
u ſi me potuis ſpiritu/& Aetheris
orbaſſes placido lumine amabilis:
odiſſem minus & ſub/
iſſes inuidiæ minus.
Sed de ſorte quæri ſit ſatis hactenus?
nanque ipſe ulterius pergere ſi uelim:
et iactare querelas
pro re quis (rogo) erit modus:
At quanquam/o animæ dimidium meæ:

o ſpes

O ſpes/o requies/delitiæ/atq; amor:
et lux/ præſidiumq;
cogar uiuere te procul.'
Tecum mente tamen ſemper ero/loquar
tecum corde auido/nullaq; non tui
tranſibit memor hora.
ſic magno placitum Ioui.
Tu nũc heſperia degis in ultima:
qua ſtat ſcipiadum tarraco nobile
æternumq; opus/& qua
proſpectat mare Barcino.
Cernisq; occiduo merger æquore
uallatum radiis frontem hiperiona:
ſtridoremq; cadentis
non longe accipis orbitæ.
At nos bellipotens thuſcia detinet:
qua cinctus calamo Clanis aquatico
ſtagnanti pater unda
glebas irrigat ubereis
Iniucunda ubi ſunt omnia:diſplicet
et natale ſolum te ſine/cultaque
nobis rura uidentur
dumeta horrida/& aſpera.
Quin'& nimpha: meum ſuauiloquis modis
quæ cor ſurripuit/fulminaq; igneis
in me uibrat ocellis:
ſordet/nec iuuat amplius
ſpectare auricomæ phillidis oſcula:
uoſtræ (crede mihi) phillidis oſcula
illa inquam/illa cupita
et mortalibus/& Deis
Qua re ne aſſiduis lane doloribus.
ac deſiderio macerer anxio:
tandem litus Iberum
linquas ocior alite.
Iampridem reditum paſcimus in tuum
hetruſco niueam gramine buculam:
naſcentiq; retortis
lunæ cornibus æmulam.

Ad phillida.

149

Mille propinaret ſi pocula nectaris Hebe
atque unum uelles tu dare ſauiolum.
mille recuſarem cœleſtia pocula philli:
unum dum poſſem carpere ſauiolum.

De Iunone/ & Ioue rapiente ganimedem.

Ab Ioue troiugenam puerum ſaturnia iuno
ſtellifera cœli uidit ab arce rapi.
Ac ſecum/noſter conſueuerat ante puellas
ſectari/cupiens uir ſua furta tegi
Et licet hoc ingensq; nefas foret/ & ſcelus/ illæ
At tamen in terris delituere ſuis.
nunc cœlo in rutilam nobis ſpectantibus Aethrā
tollit ſtuprandum (proh dolor) ecce marem.

Ad appianum de criſpo.

Declinat/auerſatur/ & fugit Criſpus:
si uidit uſquam forte baſiatorem:
quodque optime Appiane te reor noſſe:
idem hoc Amicis præſtat/atque cognatis:
siquando peregre ad patrias uenit ſedes.
quin etiam aperto baſiare formoſas
negatur ore coniugemq;/amicamq;.
tamen ſuperbe non facit/ ſed humane:
cum faciat appiane ſic tuus criſpus.

Ad lucium.

Supplicibus noſtris tandem exorata camœnis
luci ſauiolum phillis amica dedit.
sauiolum/caſiam quod uicit odore/roſaſq;:
et meſſes arabum/coriciumq; crocum.
Inſulſus quid ego iſta loquor/ non dulcius illo
nectar/non illo dulcior ambroſia.
Imo erat ambroſia/ & nectar/deus unde repente
factus ſum hoc uno ſauiolo ex homine.

In criſpum.

Si pedit glicere/faciemq; auertis/& oras
obthuras naſum panniculoq; tuum.
venter olet (fateor) glicere male/ sed tamen illo
peius criſpe tui ſpiritus oris olet.

Ad martiam.

Nubere cum ſumma nobis es dote parata:
teq; alium dicis martia nolle uirum.

Et petis:

Et petis/ut faciam ſolitis ſponſalia uerbis:
in noſtram cupiens inde uenire manum.
Adde quod & recta es/teneraq; ætate puellas
mollior & pluma/candidiorq; niue.
Clara q; ſtemmatibus/priſcorum & ſanguine auorum
et caſtis nulli moribus inferior.
Dotatam uxorem quis tot/tantiſq; recuſet
martia te prorſus ducere uelle bonis
Ipſe tamen renuo/non quod uilemq;/humilemq;
indignam noſtro coniugio ue putem:
Sed quod ſub domine imperio ſim phillidis/unde
nil agere arbitrio fas mihi poſſe meo.

In lupercum.

Vt memor ueteris tui ſodalis.
gratuſq;/ac uideare liberalis:
Iani tu cariotidas calendis:
et mittis mihi caricas luperce.
ignoſcas rogo uera dictitanti:
dona hæc tertigenas decent luperce
mureis/non ueterem tuum ſodalem.
nanque debueras uel uniones:
iunctos uel ſcythico annulos ſmaragdo:
gemmatum aut calicem/aureoſue numos
Argenti phialam ue puſtulati:
ſiue mirrhina uaſa/delphicam ue:
lacernam ue/togam ue misſitare.
hæc dona/atq; alia id genus luperce
ſi neſcis/ueterem decent sodalem.

In verginiam.

Vndam/ubi fellaſti/potas uerginia/certe:
quam prius hauſiſti/gratior unda tibi eſt.

De phillide.

Phillida deſpiciens ſummo venus aurea cœlo
et decus admirans corporis egregii:
Infit/quum phrigio nudas ſub iudice uici
nuda deas/hæc ſi nata puella foret:
nulla alia idæus cepiſſet premia paſtor:
nam quis non iſtam tindaridi anteferat:

Ad urbem romam.

Roma caue tremefacta ſolo:irradiata cometis:
icta'q; brumali fulmine:roma caue.

Ad decium ſillanum.

Academiæ ſillanæ princeps romulæ:
latiæq; linguæ columen/inclitum & decus:
en adpetunt inſana lenæi ſacra:
et iam corollæ ſutili nexæ roſa
aptantur unctis coſmiano crinibus:
capaciora & maſſico carcheſia
implentur/& genialis inſtruitur torus.
Ioque clamant Bacche pueri & fumidis
tedis per vrbem geſtientes ambulant:
iuuenumq; perſonata turba curſitat
modo huc/modo illuc:ulla nec datur quies
ipſæ & puellæ/uirginalis quas adhuc
zona adligat:coactæ in unum molliter,
ducunt choreas/mox & alternis canunt.
nec non ſeueri/ac tetrici indulgent ſenes
epulis lubenter delicatis: & iocos:
riſuſq; miſcent grandia inter pocula.
quo circa omitte ſtudia grauia/& ſeria:
dictata ephebis nec : rogo des amplius:
sed colere Bacchi ſacra nobiſcum uelis.
vt alacer ad præſcripta ſurgat munia
poſt animus:iſthæc ſtudia nanque ſcis deci
ex hilaritate prouenire maxime:

De immodicis aquis.

Menſis abit/nec dum ſatiatus Aquarius ipſe eſt:
ſed pluit/& iugi iam natat imbre ſolum.
Fluminaq; exſuperant ripas/atq; obice rupto
diripiunt undis pinguia culta uagis.
quis ueram poterit rationem/aut reddere cauſſam:
quod faciat tantas iris aquoſa moras
Certe aut antiquæ redeunt nunc ſæcula pirrhæ:
aut homines ranas iuppiter eſſe putat.

Ad marcum fratrem.

Cum frater/romæ quid agatur/ſcire labores:
sic breuiter/ne te detineam/accipito.
Romæ nulla ſalus/nec ſpes ſaltem ulla ſalutis:

At cõtra

at contra morimur frigore/cæde/famæ.

Ad appianum.

Ne mirere/quod oſculum appiane
nullum unquam dederit tibi propinquo
criſpus/non male vult ob id:nec odit:
sed te plus amat oſculum negando

De philliſde.

Iuſſerat ad citi flammantem hiperiona magnus
iuppiter/& tali mouerat ora ſono:
sol/qui cuncta oculis circunſpicis/ede parumper:
In toto quæ ſit pulchtior orbe/mihi:
Ille ait/in toto phillis formoſior orbe eſt
Ad thuſci placidas edita clanis aquas.
Hæc mihi ſæpe ſuis tenebras obfudit ocellis:
purpureo emittens clarius ore iubar
Hanc ego heri adtonita ſpecto dum mente/lupata
exciderunt digitis aurea pœne meis.
ynde parum o Diuum rex/& pater abfuit:ipſe
quin fuerim terris/quod meus ante puer.

In criſpum.

Cui pulchra coniux ſit/nec auſit hanc ore
Aperto/& uda exoſcularier lingua:
Quum futuit/illi criſpe mentula eſt longe
Iucundiorq́/gratiorq́/quam cunnus:

Ad uincentium pimpinellum.

Pimpinelle tibi quod ſum modo factus amicus:
Immenſum eſt/quantum geſtiam/& exiliam.
Cœlicolæ maius potuiſſent nec dare magnus:
non ſi feciſſent me quoque cœlicolam
nec magis optaſſem/quidquid uel ludius hermus:
Flaua uel Hiſpani deuehit unda tagi.
Hæc alii teneant:quos ſpes male torquet habendi:
pluris amicitiam duco ego nempe tuam.

De phillide

Dum niue ludebat/uidit me phillis/& in me
compreſſam digitis eſt iaculata niuem
Exarſi ſubito:non quiſquam diceret illam
eſſe niuem/flamma/flamma erat illa magis
Dicite/qui rerum naturam panditis/unde hoc:
Frigida quod rapido nix cremet igne uiros: 151

In nearchum.

Pædicabo ego te puer nearche:
atq; iſthæc rubra deſpuam labella:
qui corrumpere plurimis es auſus
donis tute lepus meam puellam:
necnon illecebriſq;/fraudibusq;
ius d ſſoluere fœderis ſacrati.
proh ſummum ſcelus/hoc feret Camillus
vt nequiſſimus omnium cinædus
impune inſidias ſibi pararit:
non/si iuppiter adnuat uel ipſe.
qua re uæ miſero tibi nearche:
nam adfixus rigidæ meæ ſceleſte
primo ſupplicium dabis/nihilq;
poſtilla poteris queri irrumatus.

De Lalage:

Sunt ſæuæ harpyiæ/ſæuæ sirrenes/& hidra:
et ſæua hircani tigris alumna ſoli:
Griphes ſæuus/aper ſæuus/sphinx ſæua/leoq;
sæuus/ieiuno ſæuus & ore lupus.
Sæuior harpiis lalage/ſirenibus/hidra:
tigride/griphe/apro/sphinge/leone/lupo.

Ad phillida.

Quid tu marmoreum puella collum:
ceruicem roſeamq;/lacteamq;:
pectusq;/ac teneras ſimul papillas
velas linteolo pudiciore:
o factum male/factum inelegantet:
noſtris inuideas quod ipſa ocellis:
tuoq; inuideas quod ipſa honori:
et formæ eximium decus ſuperbæ
iſto linteolo quod ipſa ob umbres.
quid te ſupprimere o puella dona
iuuat cœlicolum beata/dona:
quæ paucis tribui ſolent puellis:
ingrata o nimis/& nimis maligna:
nimiſq; inuida phillis/& ſceleſta.
ah/ah quid temerarius/quid audax
ah te dixi ego: parce/queſo/parce:
non tu philli/ſed ipſe tet ſceleſtus:

ſum/qui te modo dixerim ſceleſtam:
quanquam tu quoq; non minus ſceleſta:
uerbis quæ facis eſſe me ſceleſtum. In fabianũ:
Quod ſis ruptus/agens cauſſam fabiane forenſem:
te magnum actorem/cauſſidicumq; putas.
Belua at hic potius/qui dum fabiane cauere
uult aliis/neſcit ipſe cauere ſibi.

Precatio ad deos.

Quandoquidẽ patium uincentia pectora marmor:
collaq; ſithonia candidiora niue
Condidit immitis caſto uelamine phillis:
ſeque aperire oculis abnuit illa meis
Alpinum in borream magni me uertice diui:
condita ſic/celebri quum uolet ire uia.
tunc ego de niueo rapiam uelamina collo:
Atque auidos nudo pectore paſcam oculos.

De nuptiis claudiæ ſabellicæ.

quem tulit vranie ſacro pulcherrima partu
theſpia pegaſeus qua rigat antra liquor:
Huc ades o himenæe uolens/tedaſq; iugaleis
Adfer/legitimo uinclaq; necte toro.
Auſpice te:cupido complectitur ecce marito
De gremio matris claudia rapta ſuæ.
te læti cantant pueri/innuptæq; puellæ:
et nomen reddunt atria leuga tuum.
ingenuoſq; ferens uelantia flammea vultus
ingreditur thalamos aurea nimpha nouos.
Et tonſus ſpariſſe nuces lætatur Ephebus:
iam non delitias ille daturus ero.
Adnue coniugii uotis:huic iuncta marito
cernat ut euboicos claudia cana dies.

In dindimum.

Audio te noſtros proſcindere dindime uerſus:
Infelix fieri uis (puto) ſigalion. Ad Luciũ.
quæ foret iſta meis phillis celebrata camœnis
toties/auentes plurimi
Noſcere/me luci multum:ac perſæpe rogarunt:
omnino ut ipſis dicerem.
queis ego:tirrhenis fuerint quot i urbibus omneis
puellulas ex ordine

Vos etiã/atq etiã adſpicite/ & quæ pulchrior/eſſe
meam hanc ſciatis phillida.

De ſole/ & uenere.

Neſcioquo infenſus ueneri/ & conuitia iacta ns:
ſol netum obiecit martis adulterium.
Cui uenus/o tit an melius ſine talia pro te
obiiciat nobis filia paſiphæ.

Epi. Afri.

Puerorum amator Aſer/ & iuuentutis
corruptor omnis/hoſtis at puellarum:
qui uel pudicum filium coegiſſet
thesei libidini obſequi ſuæ pellax:
ſub hac uiator ſaxea iacet mole.
ſed qui eius/audi/fuerit exitus uitæ.
dum forte cunnum fœminæ uidet nudæ:
qui menſtruo manabat/ ut ſolet/ tabo:
correptus obiit nauſa miſer triſti.
quod ſi uiator facere mortuo gratum
vis/ad ſepulchrum fac caces/ fuit nanque
res afro olenti nulla gratior merda.

In manilium.

Carmina noſtra inquis nimium prurire manili:
idcirco male me ducis & eſſe marem.
Sic quoque de docto legitur ſenſiſſe catullo:
quos idem pathicos deinde poeta uocat.
At te non pathicum dicemus/crure glabello
ſis licet/ & nardo barba/comaq fluant.
Quidnam igitur dices ais. Hoc ius ſcire manili:
te nunquam ex ulla parte fuiſſe marem.

De Eraſmo reterodamo.

Ad ſertor geminæ/parensq linguæ:
phenisq unica noſtri eraſmus æui:
qui iam tranſtulit ad ſuos batauos
facundum latiumq/grecianque:
et qui tot monimenta/totq libros
omnis condidit eruditionis
ſcribens carminibus/pede ac ſoluto:
quot nolitiac gleba fert ariſtas
quique non minus attigit papiros
ſacras euoluitque/quam profanas

Crudam

crudam adhuc / uiridemque agens ſenectam
iucunde in patriis quieſcit agris.
qua re exultet: ouetque: geſtiatq;:
quiſquis pierias colit ſorores.

Ad Petrum Curſium.

Illacrimans Curſi lugubria carmina legi:
queis Romæ excidium: diraque fata gemis.
non melius cladem Iliacam: ardenteiſque ruinas
der let ſublimi carmine vergilius.
Strata ue dircæis argiua candaueta campis
fortius audaci ſtatuis ore tonat.
At quantum Romæ thebæque / & pergama tãtũ
(pene eſt / eſt ut dicam) cedit uterque tibi.

De phillide.

Pleno canebat phillis ore nectaris:
teſtudine a ſſumpta leui.
Pellecta blando uenit huc apis melo:
labrisque ſedit dulcibus.
Illa at canendo (ut fit) labella comprimens
occidit imprudens apem.
Tali beata morte ſepties apis:
certe inuidemus nos tibi:
nam condecebat te tuos inter fauos,
cœleſte non nectar mori.

In uarum.

Herbis præcipue de cunctis menta / nec omnis
vare tibi / at ſolum menta puſilla placet.

In eundem.

Quænam eſt iſta / cedo / puſilla menta.
tam ualde tibi quam ferunt placere
uare / an forſitam illa / quæ uocatur
paſſim mentula? quid taces? fatere.

Ad Antonium pont. portuenſem Cardinalem ſauinatem.

Dum uaticani colis alta palatia montis:
ſum pater ad ſtigias pene ego raptus aquas.
nanque modo horrifico uexabat frigore febris:
et modo flagranti languida membra face.
vnde uel in ſiculas miſiſſem corpora flammas:
in freta riphæo ſiue coacta gelu.

Nec me tum plumæ/nec eburnea fulcra
 ſtragula nec tirius bis madefacta uadis.
quid facerem poſitus miſer in diſcrimine tanto
 suppliciter diuos poſcere præter opem:
qua re ego cœleſteis ſupplex in uota uocaui:
 numina nec precibus ſurda fuere meis.
sed liciam linquens/& xanthi flumina apollo
 mouit feſtinos ad mea tecta pedes.
Dumq̧ uenit delubra petens epidauria nati
 hunc quoq̧ muneribus iuſſit adeſſe ſuis.
Iamq̧ remi intrarant vrbem/qua traxerat olim
 audax heſperias cacus in antra boues.
Ecce coronidæ:thuſcus quam circuit amnis:
 obfertur ſacris inſula nota ſuis.
Dextrorſum at ſpectans phœbus pallatia/uidit
 heu ſua non ſiccis diruta templa genis.
Dem noſtros,ſubiere lares natuſq̧:paterq̧:
 et tetigit medica corpus uterq̧ manu.
Tactus ego his/paullum uiſus/paullumq̧ leuari:
 adfulſitq̧ oculis lætior aura meis.
poſt hæc pæonio expreſſum de gramine ſuccum
 vt biberem/hortati uoce/manuq̧ dei.
quæ dicam tibi/chaonias oracula quercus
 veridico antiſtes crede tuliſſe ſono.
Vix latice epoto/uix dempto ex ore denuce:
 et calor/atq̧ horror/languor & omnis abit.
Inde ubi lethaleis eieci pectore morbos:
 eſt primum calamus/chartaq̧ ſumpta mihi.
scriberem ut iſta tibi Antoni pater: utq̧ docerem
 In yates ſuperum quam pius extet amor.

De phillide.

Viſa phillide/sic uenus/marinis
 num plures ueneres creantur undis?

Ad carceranum.

En adſum bone carcerane/ſiue
 velis addere cæteris amicis:
 siue inter numerare me clienteis:
 nam quoduis ſatis eſt mihi/ſuperq̧
 (tuus ſim modo) carcerane nomen.
 o felix ego ter/ter & beatus

cui

cui te mox duce/& anſpice hippocrenes
ſacratos dabitur lacus adire:
ac dulci fide prouocare muſas.
ſed nec deſpicias; nouus quod ultro
tibi me obfero/trado/dedicoq;
nam ſi feceris (ut reor) periclum:
næ dices/erat expetendus iſte.

De effigie C. marii in lapillo: quem paulus
Iouius uictoriæ columnæ dono dedit.

Hic uir/hic eſt/uafro iniecit qui uincla iugurthæ:
contudit & latia cimbrica tela manu.
quem tulit/eduxitq; potens uictoria: quemq;
vt proprium dextro eſt uſque ſecuta pede.
neu ſit ab hoc diuulſa unquam uictoria/domo
ab iouio marium nunc capit illa ſuum.
Credite/non alium uoluiſſet diua/nec ille
alterius fieri munera grata deæ.

De ſe/& ioue.

Tres ſibi permiſſit noctes regnator olimpi:
ferret uti Alcmenæ gaudia falſa ſuæ.
At mihi nox tantum foret & ſatis una; ſuperq;:
phillidi uti ferrē gaudia uera meæ. In carminā

Quemcunq; cernis:conueniſq; carmina
ſiue hic patronus/ſiue ſit cliens/ſiue
ſenex auarus/ſeu uir/aut adoleſcens:
uacos/ſalutas/baſias/& adprendis:
ſciensq; omittis offici genus nullum.
ſtudiis quid iſtis adſecutus es tandem
cæcinna/fructus uel quid inde cepiſti.
uiſne ipſe/cum ſilentium tu agas/dicam
ingratus es/dum inire gratiam tendis.
cunctiſque dum placere/diſplices cūctis.

De effigie Atropi in lapillo/quem Iouius
auolo principi donauit ad auolum.

Quid deeſt/cū ſupēt/q̄ hōini dare numina poſsūt
quid/niſi perpetuo uiuere poſſe/tibi:
ſenſit id/& parcam Iouius dedit/ut tua ſemper
auole ſit/nunquam & candida fila ſecet.

Atropos adloquitur auolum.

quam vitæ humanæ rumpere fila iuuat.
Et ne uerba putes dare me/nugas que referre:
en tibi cum duris ſtamina forficibus.
Sed uenio nunc capta tuæ uirtutis amore:
ut faciam quoduis Auole/ne dubita.

Ad titum de Anco

Poter maximus ancus/& uel ipſa
ebriolior ebrioſitate:
quem nemo tite ſobrium uidere:
nemo unquam potuit uidere ſiccum,
ut anſam eriperet calumniandi
detractoribus/ac ſibi liceret
Indulgere capacipus diotis:
et conuiuia prorogare lucem
nocturna in mediam mero liæo:
(o mirum ingenium/uafrumque)finxit
ſe ſe in Cardiacum incidiſſe morbum.

De Petrarca & laura in tabula/quos P. Io/uitis victoriæ columnæ dedit ad uictoriã

Pettarcham/& Lauram tibi dat victoria paulus:
aptius hoc nullum munere munus erat.
Ad uatem quis enim propius te adcedit hetruſcũ:
quæ ue magis laurum mente/animoque refert:
Terque/quaterque igitur uictoria munere felix
moribus/& ſtudiis conueniente tuis.

Ad eandem uictoriam.

Et laura/& uates uiuunt/amboque iocantes
edunt alterno murmura blanda ſono.
Verbaque ſæpe refert hæc inter cætera uates.
pro te uel magnas nolim ego Laura deas.
Dicit/ſed uideat:fac/te uictoria tantum:
crede mihi/Lauram deſeret ille ſuam.

In ſecundillam.

Noctem tuam rogauimus ſecundilla:
læta adnuiſti/nec diuque/mult umque
tute es rogari paſſa/ſed tribus tantum
rogata uerbis nos uenire iuſſiſti.
adceſſimus/uerum ipſa nocte mentita
dormire tota/quo proba & uidereris
pudica/nare ſentiente ſtertiſti:

nihilominus

nihilominus tamen fututa nobis es.
at tu pudicam deſine/& probam uelle
ſic dormiendo fingere/æmularique.
nam ſi futueris dormiens ſecum illa:
quid facere uigilans/quid ferere: dic ſodes.

Ad phillida.

non miror labiis pitho inſediſſe periclis:
cum uideam charitas philli ſedere tuis.

In porcium.

Audes de gelido loqui Boote
porci/deque helice/trionibuſq;
nec ter zodiaci quaterna ſigna:
ſtellarumq; obitus uagantum/& ortus:
cuncta & ſidera te latere iactas.
certe prodigium graue hoc/& ingens:
et maioribus hoſtiis procurandum:
ac ſacro pariter nouendiali:
de mundi ratione/deque curſu
quod Bœotius eloquatur hic ſus.
di magni procul amouete/quidquid
nobis exitii imminet/malique.

De Hieronymo Brittonio

Brittonius teneros Elegis decantat amores.
atq; idem forti prælia dura pede.
Implet & hos numeros feliciter/implet & illos
promeritus laudem carmine utroque parem.
si cernes elegos miles credetur amoris:
credetur martis: si fera bella leges.
Brittonio iam debet amor: mars debet & ipſe:
per quem hic tela mouet: iactat & ille faces

In fabium.

Longæuior tithono: & hectoris patre.
pilioque rege/naunacoque/ianoque

ſemel utque finiã: hernia graui oppreſſus
nec uoce/digito ne erigi queat penis:
ardes puellam tu tamen medullinam:
quæ cæterarum ſplendor eſt puellarum:
et polliceris aureos aceruatim:
foueas tepenti frigida ut ſitu membra.
o fæda/deuouendaque omnibus diris
ſenis libido/tu ſibi medullinam
attingere audes/tu ſceleſte complecti:
ac diuite auro id adſequi putas poſſe.
o ipſe pereas prius/& omne tecum aurũ.

Epi. Eliſæ.

Quæ/niſi quod periit/nunquam peccauit/Eliſa
hoc iacet in tumulo/flens tumulauit amor.

Ad Ianum Marium Stratigopolitam.

Ad latum eſt mihi te ſuperatis alpibus iſſe
ad rhodani celeres præcipitantis aquas:
Atq; ibi marte procul/ꝑcul & diſcordibus armis
ſecurum ſtudiis Iane uacare tuis.
At nos barbaricos gladiis circum undiq; ſepti
pergimus heu noſtra ſpargere cæde manus.
Nec datur aut phœbũ/numeriſq; laceſſere muſas:
aut iacere arguto uerba diſerta foro.
Ingenueque/bonæque artes/quibus Italia tellus
floruit/immundo deperiere ſitu.
Quod cũ ita ſit/ſtudiiſque tuis/gratorq; quietis
tuque uelis noſtram iane dolere uicem.

De ſiluro piſce/& phillide.

Quum phœbo canis æſtiſe proprinquo
latrat/& nimios citat calores:
ſentit uim phariis ſilurus undis
tanti ſideris/& malgnitatem:
totus nam riget/atque ſideratur:
mirum hoc eſt (quis enim neget.) ſed illud
mirandum minus eſſe non uidetur.
quum phillis roſeo coruſcat ore:
in me luminibus iacitque flammas:
tanti uim iubariſque/fulguriſque
miſer ſentio & ipſe: nam repente
totus dirigeoque/ſiderorque.

Ad pictorem.

Ad pictorem.

Picturo/exemplar ne deſit Ciprida pictori
huc ades/exemplar en tibi phillis erit.

De Diana/& Amore.

Taigeti in medio eſt Dianæ lucus/ubi arbos
plurima/quo nulli fas penetrare mari.
Huc caſu deuenit Amor/cui diua minaci
ore ait/i procul hinc/& loca caſta fuge.
Stulte puer/uetito qui auſus conſiſtere luco:
an ratus es matri me ſimilem eſſe tuæ.
Contra Amor/o uirgo ſi huc adceſſiſſet orion:
eiectus nuuquid ſic tibi & ille foret

Ad phillida.

Nulla in Auſonia puella tota
te felicior eſt/beatiorque:
nec preconia plura contigerunt
Vlli/quam tibi phillis:inque noſtris
accep tum referas uelim libellis.
nam quis te (niſi quattuor libelli
paſſim concinerentque/tollerentque
nouiſſet rogo:præter hanc humum/quæ
tam pulchram ſtuper edidiſſe alumnam.
nunc te thuſcia tota/te ſereno
vultu Roma legit/probatque/& omnis
idem turba facit diſertiorum.
nec tu temporibus modo his legeris:
dum cunctis nouitas placet librorum:
ſed te ſæcula cana/te nepotes:
longe & poſteritas manet remota
phillis/tam tibi proſperum/atque felix
in uatis fuit incidiſſe amorem.

De Antonio Pont. Portuenſe

Confer/age/ille ſuas/externas hic amat/ille
Florenteis muſas extulit/hic laceras:
Ad phillida.
Non tantum es noſtris phillis inſcripta libellis
qui facient pilios te ſuperare dies:
Vertice ſed quecunq; arbos prognata ſanino eſt
me ſcribente tuum co tice nomen habet.
Saxa quoq;/& pictę rupes ferrugine/laudes
hinc longo oſtendunt carmine/& inde tuas
paſtor agens ſimas per frondea teſqua capellas:
quas legit/agreſti nec ſemel ore canit
quin etiam in ſiluis iam ipſe didicere uolucres
exprimere humano phillida philli ſono:
Qualiter in libica quondam pſaphonis arena
diuinum docili gutture nomen aues.
Ad lectorem.
Aetatis ſi forte meæ quo tempore in ora
vulgi prodierint carmina/noſſe uelis:
Hæc nos quum edidimus lector/uix quattuor una
(vera fides) luſtris addita meſſis erat
De obitu Andreæ ſanſouii patris.
Tu ne pater miſeros miſera cum coniuge natos:
tu ne pater miſeros tam cito deſtituis:
Tam cito deſtituis miſeros pater/o pater: eheu
cur uetitum tecum me quoque poſſe mori:
Tecum una fas poſſe mori/tecumq; uidere
sit precor Eliſii rura beata ſoli.
Nam mihi ſub magno quid dulce:& amabile cœlo
te ſine/quid læti lumina noſtra uident:
Eſt ingrata dies/terræq; ingratior umbra:
horaq; tabifico nulla dolore uacat:
Innumeri adcurrunt lachrimantes undiq; amici:
ſolatiq; parant miribus adloquiis.
verum fruſtra adhibent illi ſolatia nobis:
vincit enim medicam tam graue vulnus opem:
Ipſe quoq; adſidue teneris mihi cultus ab annis
dignatur vatem phœbus adire ſuum.
nititur & blando curam ſermone leuare:
quamq; ram proficiunt non ſatis orſa dei.
At ſueta externos cantu lenire dolores:

adtonita eſt tantis nunc mea muſa malis:
Adtonita eſt/frangitq; liram/ſcinditque capillos:
eiulat & madidas ſauciat ungue genas.
Sedula funebreisq; uelit tibi dicere laudes
pro meritis genitor/ſi dolor ipſe ſinat.
Ipſe obſtat/prohibetq; altus dolor/oraq; tantum
in queſtus ſoluit/ſoluit & in gemitus.
Ergo ego cum nequeã mſ te/& tua funera flere.
uſque ego te flebo funera & uſque tua.
Heliades nec me lacrimis æquare ſorores:
nec poterit phrigius tantalis ante/lapis.
Cedet apollineus defecto gutture cignus:
quum ſua flet ripis fata caiſtre tuis.
Cedet ſub tremulis ſiluarum daulias umoris:
quum gemit Odriſii funera mater itis.
Nec poſthac unquam dicentur phillidis ignes:
næma ferali ſed miſuranda ſono.
Mæſta pater te lingua canet/te flebit ademtum
ſqualida luctificis noſtra thelera modis:
Qualiter icarium fluit pia nata cruentum:
quem dedit immerite ruſtica turba neri:
Qualiter ereptum flammæ/ferroq; parentem
aeneas ſicula quum tumulauit homo.
Et paſſim implebit queſtu cœlũ/æquora:terras:
quantum ſol rapidis flammeus ambit equis.
Atque utinam infernas leges adamante ligatas
fas eſſet lacrimis frangere poſſe uiris.
Frangeret has fletusq; meus/lacrimæq; perẽnes
lethæiſq; fores ipſe remiſſus aquis.
Sed quia fata negant diuum:rigidæque ſorores:
Humanæ uitæ quæ rata penſa trahunt:
triſtis ero de te quod poſſum ſemper/eritque
Grata uiris pietas hæc mea:grata deis.

Et placida natos reſpice mente tuos.

De eodem.

Occidit Andreas toti iam cognitus orbi.
arte ſua/ & uatum uerſibus innumeris.
Is cœlo eſt Diuus diuis modo factus ab ipſis
quos cœlo in terris fecerat ille prius.

De eodem.

Agebat arte cœliteis ab Aethere
ſanſouius / illum cœlites at inuicem
benignitate egere nunc in Aethera.

Finem luſibus imponit.

Pocula deſtituit mea muſa aganippidos undæ:
Et phœbum: Diuas deſtituitque nouem.
plectra iacent: ac muta lira eſt: cordæque ſileſcunt:
Et uox in tacito pectore clauſa latet.
Carmina non ſubeunt/cantus abiere/iocique:
muſa nec urbanos ludit/ut ante/ſales.
Cuncta/paterna mihi mors abſtulit æternumque
iuſſit pro lætis triſtia flere modis.

Telos.

Philippus bellucius marinus:
ad phillida.

Dum lacrimans phthii ductor pellæus Achilli
urnam in ſigeo litore cernit/ait:
Fœlix Aeacide/ & nulli ceſſure deorum:
Cui iam mæonio contigit ore cani.
Sic quoque tu fœlix culto celebrata Camillo
phillis/quæ nullo es interitura die.

Bernardinus lepidus piſaurienſis ad lectorem.

Gaudia/mœrores/riſus/ſuſpiria/& omneis
heic animi affectus candide lector habes:
nanque canit pleno dum phillida mutius ore
humanum ualeat quid / docet/ingenium.

Lucius gregorius sauinas ad mutiũ Camillũ
Bilbilis argutum quamuis ſine fine poetam,

extollat:

Extollat/lepidis ſacta ſuperba iocis.
non tamen ingenteis unquam exæquabit honores]
quos tribius patriæ docte camille meæ.
Illa tamen nunquam muti exæquabit honores:
Quos capit a ſcriptis noſtra ſauina tuis.

Telos.

Impreſſum in Ciuitate Cortonæ per Antonium
mazochium Cremonenſem/& Nicolaum
Vguccium de Cortona ſocios
in arte imprimendi: de
mẽſe Decẽb.ãno Dñi
M. D. XL.

